

10. 4. 53

DECRETA SYNODI DIŒCESANÆ

Habitæ Florentiæ in Parochiali Ecclesia Prioria nuncupata S. Mariæ in Campo Fesulanæ Diœcesis.

TERTIO IDUS JUNII ANNO MDCCXX.

AB ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. ALOYSIO MARIA STROZZA

EPISCOPO FESULANO, ET COM. TURRICHII.




62

F L O R E N T I Æ, MDCCXX.

Ex Typographia Michaelis Nestenus sub signo Nom. JESU.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.



ALOYSIUS MARIA STROZZA
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS FESULANUS, ET COMES TURRICHII.

Venerabilibus Fratribus Canonicis, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Fesulanæ, ac Diœcesis nostræ Parochis, cæterisque Clericis Salutem.



Tatim ac Deus Optimus Maximus, qui, quemadmodum ait Propheta, suscitat a terra inopem, & de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus, nullis suffragantibus meritis, sed immensa suæ Clementiæ largitate Cœlestibus Mysteriis præesse nos voluit, atque ad regimen Fesulanæ Ecclesiæ tum sanctitate, cùm vetustate venerabilis elevare dignatus est, in eam potissimum curam intendimus, ut Diœcesim totam perlustrantes Ecclesiasque universas, Clerum, Populumque corporaliter invisentes, boni Pastoris partibus, quantum nostrarum virium pateretur tenuitas quamprimùm satisfaceremus. Postquam verò exoptatam Visitationem Deo adjuvante ad finem perdu-

ximus, ad Synodi celebrationem, nulla interjecta mora devemiendam putavimus, ut ubi non valemus semper corporaliter interesse, per leges, Constitutionesque nostras præsentiam veluti spiritualem indesinenter exhiberemus. En igitur dies tandem illuxit Ecclesiæ nostræ fortunatus, ac faustus, quo Pater misericordiarum, ac Deus totius Consolationis permisit, ut totam simul Diœcesim eâ, quâ par est charitate complectentes, eamque nobis devinctam in osculo pacis detinentes Synodales Constitutiones ad Cleri, & Populi fidelis nobis commissi reformationem, & utilitatem pertinentes promulgaremus. Vos interim Venerabiles Fratres, ac Filii dilectissimi rogamus, atque obsecramus in Domino, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, sed potiùs cum mansuetudine suscipiatis insitum verbum, quod potest salvare animas vestras, memores illius quod Apostolus docet. Non auditores legis, sed factores legis justificabuntur. Rom. 2. 13. *Ob eamque causam animum ad observantiam diligenter appellite, curæque sit cuilibet vestrum, dum has sanctiones nostras exhibemus, quod de divinis legibus Josue Judæorum Duci loquutus est Dominus.* Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo, tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. Jos. 1. *Nos quoque omnem diligentiam, ac vigilantiam impensuros esse promittimus, ne aut pervicacia violentur leges hujusmodi, aut incuria negligantur: Atque ita annuente Domino sollicitudinibus nostris, & promptitudini vestræ tutò confidimus ea, quæ pleno justitiæ, & juris ordine fuere constituta ad majorem Dei gloriam, Animarum salutem, & Ecclesiastici Corporis splendorem, decoremq; servandum perpetuum firmitatis robur obtentura. Quod dum ab Excelso humillimè deprecamur, vobis omnibus paternam Benedictionem impertimur.*

ORA-



O R A T I O
HABITA AD SYNODUM
A CAJETANO TANI
HUMANIORUM IN SEMINARIO FESULANO LITTERARUM MAGISTRO.

Doctrinam, quà Pastorem Animarum florere decet e Synodis potissimùm peti oportere.



Uod summa omnium voluntate, atque expectatione maximè desiderandum, videbatur, Præsul amplissime, ornatissimi PP., quodque ad integritatem disciplinæ, splendoremque dignitatis, atque amplitudinis vestræ augendum conducebat, id magnâ cum animi mei jucunditate vobis lætitià gestientibus hodierno die opportunissimè gratulor contigisse. Jam enim tot annos hujus Fesulanæ ecclesiasticæ Reip: leges instauratæ non sunt, ut vehementer timendum esset, ne fato rerum omnium mortalium

lium consenescerent, ne morum integritas sine hoc præsidio debilitata concideret, ne recta vivendi ratio profligata, & despecta jaceret humi, ne denique Sacerdotalis vestri ordinis nitor, atque majestas deficeret, & quadam veluti nube transacti temporis obscuraretur. Quamquam enim nihil adhuc in vobis disciplina detrimenti accepit, quamquam ij estis, undè pietatis, religionis, doctrinæ, virtutum denique omnium exempla petantur: tamen nihil cum sit tàm integrum, quod non corrumpi, nihil tàm munitum, quod non expugnari, annis vertentibus soleat, idcircò tanto suorum discrimine permotùs vigilantissimus Pastor jampridem ad legum dignitatem, vigoremque animum appulit, hodie verò ad eas innovandas propiùs accessit, duxitque sibi non esse committendum, ut eæ in oblivionem diuturnitatis adducantur. Quodcircà vos è totà Diœcesi corrogatos, intra hos parietes jussit adesse frequentes eo nempe consilio ut se ipsum, omnesque bonos eà quà impediuntur formidine solvat, quodque adhuc per se erectum est, majori stabilitate, quod sanum, atque illæsum, constantiori valetudine confirmet. Neque enim ut quidam ineptè putant, hęc Synodalia comitia cogere, sterile quiddam, atque infœcundum, longàque consuetudine, inutile est existimandum: Cum ea potius à Sacerdotibus velut aurea quædam vincula laxitatem morum, remissionem scientiæ, dissolutionem disciplinæ, totiùs denique vitæ lentitudinem, cessationemque prohibeant. Nec verò majores nostri morum sanctitate, doctrinàque cultissimi, & ipsi illi humanæ, divinæque Sapientiæ apices Apostoli, ut perditos improborum hominum conatus frangerent, ut tam multis errorum monstris in religionis exitium conju-
ran-

rantibus bellum indicerent, Synodorum præsidio ut omnium potentissimo usi essent, nisi lectissimos illius ætatis Patres advocare, virorumque gravissimorum cœtus cogere, maximo ad tantum bellum conficiendum momento esse judicassent. Quod si non hic tantus fructus indè caperetur, quorsùm tam multa contra Hæreticos ore durissimo homines ubique terrarum habita Comitia? Quid Nicena prima contrà funestissimum illum Arium profecissent? quid Constantinopolitana contrà contaminatissimum Macedonium? quid Ephesina contrà spurcissimum, lutulentissimumque Nestorium? quid Chalcedonensia contrà fœdissimum illum Fidei eversorem Eutichen? quid Constantinopolitana altera contrà Hydræ pullulantis capita Origenistas? quid Nicena altera contrà Iconoclastas belluarum immanium ritu furentes? quid demum sexcenta alia, contrà tot Monstra, atque prodigia Religionis exitium, pestemque nefariè molientia profecissent? Est profectò est A. A. Synodorum uberrima utilitas, incredibilis præstantia, admiranda gloria, quòd inclinatæ, labentique disciplinæ pro tempore subveniunt, quod morum languores extinguant, atque sanant, quòd subnascentia quotidiè vitia rescindunt, quòd exardescentibus cupiditatibus occurrunt: Quotiès tamen mecum ipse, apud animum meum cogito, accuratèque perpendo, quantum Synodi valeant ad discutiendam, quà plerique involvuntur inscitiæ nubem, tanta mihi indè affulgere videtur scientiæ lux, tanta doctrinæ species obversatur animo, ut hanc omnium opportunitatum, quas Synodi habent, maximam, & præstantissimam jure optimo judicem. Jam cum vita hæc in quà jactamur, tam scopulosa sit, atque difficilis, cum ejusmo-

ejusmodi perturbationes habeat, ac tempestates, ut portum tranquillitatis, & pacis in solà scientià reperire possimus: confido pergratum esse me facturum vobis, si ad tutissimum scientiæ sinum, atque perfugium, ubi vos placidissimè conquiescitis etiam cæteris iter ostendero. Ostendam autem si illud a me demonstrabitur, doctrinam, quà Pastorem animarum instructum esse decet, è Synodis potissimum peti oportere.

Quoniam verò præfinita brevis est nobis hora, quamdiù dicamus, nec ea omnia, quæ si non ornatè, copiosè certè scripta erant a nobis permissum est, ut proferamus in medium, ne ultrà has temporis angustias, & constituta repagula egrederetur Oratio: quæso à vobis A. A., ut æqui mihi judices sitis, si aliqua dissoluta sint atque divulsa, si multa jejune omninò, exiliterque, & sine ulla dignitate dicta; si plurima fœde proscissa, & mutilata; si tota demum Oratio horrida sit, ut ita dicam facie, atque incomposita, quod ab ea omnis fermè eruditio veluti nimia quædam luxuries amovenda fuit, ac velut amputanda. Verùm, ne nimirum temporis in limine, & in primo veluti vestibulo absumamus: aggrediamur ad dicendum.

Nulla res æquè populorum salutem promovet, fovet religionem, virtutem confirmat, eradicat vitia, atque integra sacrorum Curatorum, ac Præfectorum vita, quæ cum palàm agatur, inque omnium oculis posita sit, hominum animos ad imitandum pronos incredibiliter movet, & a vitiorum illecebris abstractos, ad pulcherrimam honestatis formam suavissimè traducit. Ea autem vivendi integritas duas, ut arbitror, partes habet, cognitionem, & actionem; quarum altera, quæ facienda Sacerdoti sint

præ-

præcipit, & quaſi ad ea digitum intendit, altera verò aptà quadam habilitate ità componit, temperatque moderatione quæ agantur, ut in iis plurimùm ſemper habeant populi honeſtatis, & laudis, quod imitentur. De hac nobis nullus habendus eſt ſermo, ſed quia ab illa naſcitur, ex eàque velut a fonte dimanat: eò nervos omnes orationis intendere ſtatuimus, ut aliqua de ipſa cognitione, plura de ipſius acquirendæ ratione diſputemus. Etenim cognitione, vita Sacerdotis ut recta ſit, ità continetur, ità ab eà pendet, ut qui ignorat quid faciendum ſibi dicendumque ſit, inutilis ſibi, perniciosſus Reipublicæ: qui verò ità doctrinà ſe armat, ut non offundere mentibus inſcitiæ nubes, ſed tenebras, caliginemque diſſipare ſcientia poſſit, is mihi Sacerdos, & ſuis, & Eccleſiæ rationibus utiliſſimus fore videatur. Cum enim nihil ſit tam deforme, tamque præpoſterum, quam Sacerdotem ad diſciplinam, & inſtitutionem datum, ad morum peſtem, atque perniciem inſcitià converti: nomine animarum Paſtoris ornandus eſt nemo, niſi qui doctrinæ præſidio poſſit, aut a recto declinantem multitudinem in viam revocare, atque reducere, aut languentem labentemque ad virtutem excitare, aut excitatam ad altiorem ſanctimoniæ locum inflammare, & facere ne alacres illi ad pietatem impetus, ſicut ignis nutrimento deſtitutus langueant, & deferveſcant. Ut paucis omnia complectar: ut quis demandatam ſibi regendorum animorum provinciam rectè adminiſtret, ea ſit cognitione, & ſcientia neceſſe eſt, ut illum nulla earum rerum prætereat, quæ hujuſmodi perſonam proximè attingunt. Ab hac enim ſcientia recta vivendi ratio ducitur, ejus nutu ductuque, ſubditas monemur habere libidines, cupidita-

tibus imperare, nos ipsos in officio, atque jure continere. Quid enim est aliud scientia, nisi fax ad prælucendum animis constituta nisi virtutis magistra, vitiorum emendatrix, ad præclara facinora calcar, & incitatio, frænum insolescentium cupiditatum, altrix denique morum, religionis, pietatis, officii, totiusque disciplinæ? Cum enim natura comparatum sit, ut hominis facultas, quam Intellectum appellamus, quæque in veri indagatione versatur, alteri cui semper est aliquod propositum Bonum, quam Voluntatem dicimus præluceat, lumenque præferat veritatis: facultas, quæ in appetendo, fugiendoque versatur, devia a recto trahatur falsà boni specie, fictaque honestatis imagine decipiatur oportet, quoties in intelligenda veritate, Mens pro falsis vera, tuta pro incertis, inclinata pro erectis, pro sanis infirma, atque exulcerata, vel ab aliis docetur, vel ipsa per se non rectè ratiocinata consectatur. Cum autem in rebus percipiendis, nec hallucinamur, nec errore aliquo ducimur, sed puram lucidamque veritatis faciem apertissimè intuemur, illa profectò tantà est pulchritudine, ut incredibiles sui ipsius amores sit excitatura. Humanus enim animus, ut est præclarè dictum a Tullio, si est excultus, & si ejus acies ità curata est, ut ne cæcetur erroribus, fit perfecta mens, id est absoluta ratio. Deniq; ut paucis expediam sequetur actio cognitionem. Si quis malè sentiat, nullus erit error, quo non implicetur, nullum scelus, quod non temerè offendat, inconsideratèque complectatur. Contrà verò si quis ità aciem exacuat, ut quid bonum factu sit, quid malum probè intelligat, apertèque perspiciat, inductione animi, & voluntate, tum alacritate, & lætitia quadam incitatus, ne dicam vi, ac

ne-

necessitate coactus ad colendam virtutem amplectendamque honestatem mirificè inflammatur, & exardescit. Quemadmodum enim, si quandò intempestà nocte Maris fluctibus agitatur Naviculariæ benè peritus rector, quò lampades è Turri prominentes videt, navigii cursum eò dirigit, ità sanè hominis appetitus, eò fertur, eòque dat vela, quò intelligendi facultas lumen ostendit. Nec unquam ad errorum, & criminum scopulos multorum exitio infames naviculam allidet, nisi fax illa inimica sit, & a tartareis prædonibus, velut à Nauplio quondam in scopulis Caphareis, idcircò succensa, atque sublata, ut ignarus, imperitusque gubernator miserrimo naufragio absorbeatur. In tantum autem exitii discrimen adducitur nemo, qui mentem habeat, ità scientià illustratam, ut nunquam non videat, quò in hoc vitæ cursu petat, undè declinet, sed semper in apertissimà luce velificetur. Scientia enim, & vitæ degendæ, & rerum pro tempore gerendarum rationem ità ostendit, ut vix lapsui locum, & errori aliquandò relinquat. Quæ cum ità se habeant, dici vix potest A. A. quantà Rectores animarum cognitione egeant eorum rerum, quæ vel sunt in eo munere, vel ad illud proximè accedunt, vel ei præclarè gerendo utiles esse, aut etiam per commodæ videntur. Magnum est onus, magna vigilantia, magna actio vitæ, magna rei divinæ procuratio, magna dignitas Sacerdotis curæ populorum addicti: Quis nisi singulari scientia limatus, ac perpolitus, quis nisi doctrinæ præsidiis, & quasi armis ad rem tam arduam, atque difficilem benè gerendam instructus sit, tantam personam, tam gravem, tam lapsioni, tam periculis obnoxiam valeat sustinere? Si Vestales illæ, ut est memoria pro-

 di-

ditum, antèquam ad custodiam ignis accederent decem annos ipsos sacrorum disciplinam addiscebant: quomodò non ignis, sed animorum custodiæ benè præsint, qui omni prorsùs scientiâ destituti, ne elementa quidem Fidei, ac Religionis satis apertè enucleare possunt, non hæsitantiâ linguæ, sed stupore mentis impediti, qui sacras cerimonias non ritè peragere, qui ne verbo quidem hiscere, ut populos erudiant, qui tertiâ quàque literâ in legendo offendunt, qui demum abjectis libris tamquam valetudini funestissimis nihil aliud agunt in omni vita, quam delicatè, ac mollitèr vivere, splendidè, magnificèque convivium ornare, venaticos canes ad delectationem nutrire, transfugere ab Ecclesiâ, ad hominum cœtus devolare, somno, ludo, rebus levissimis diem terere, ut commissum sibi gregem ex quo fructus tam uberes, rei domesticæ opportunitatem tantam percipiunt, præclarissimè erudiant, idest nihil tantâ mercede sapere doceant. Atque utinam nihil docerent: Malè etiam (proh Dei, atque hominum fidem!) malè etiam docent, notam ignorantiæ timent, rogati temerè respondent; disciplinam, quam ipsi respuunt in aliis relaxant, atque dissolvunt; si qui a vitiis abhorrent, hos, veluti superstitiosos, religiosos que elevant, atque contemnunt, neque dubitant dicere, plus ab iis, quam præcipiatur a lege præstari. At quanto Christianæ Reipublicæ detrimento, quantis bonorum lachrymis, quantâ animorum pernicie, veræque religionis ruinâ non dico: hoc unum dico: si cæteri homines aliquà in re male sentiant, atque etiam loquantur, liberantur a culpa, quòd vel imperitè, vel temerè elapsa vox habetur: at quoties errore, vel minimo doctrinæ prolabitur animarum Pastor in ore,

atque

atque oculis omnium versatur crimen: illicò promanat, ac serpit in vulgus, passimque variis, frequentibusque hominum sermonibus usurpatur. Itaque vituperatur, ut cum illo divini Verbi egregio buccinatore Paulo loquar, vituperatur inquam ministerium nostrum, jacet Sacerdotium, contemnuntur unius macula sacræ religiones, altaria polluuntur, templum Dei violatur, & unius Sacerdotis ignorantia nomen, dignitatem, existimationem nostram, abiicit, labefactat, evertit. Neque id nullà de causà. In nobis enim communem cum Cœlestibus agnitionem splendescere, ipsam in nobis spirare sapientiam putant, in nos, non velut in homines, sed tanquam in hominum oracula, totidemque si ità loqui fas est ex altissimo Cœli domicilio demissa Numina oculos coniiciunt: Cum autem quid, aut indecore factum, aut non verè dictum, vel deprehendunt oculis, vel animo sentiunt, i nunc, inquiunt, & audi Malachiam, legemque ex ore Sacerdotis require: nullam labia ejus scientiam custodiunt. Quid deceat in factis dictisq; qui modus, quæ ratio vitæ non sentit, non aliter, atque nos, magnà in caligine, ac nocte versatur! Oh nos profectò falsos, qui hactenùs quoties consuluimus hominem, ut arbitrabamur sapientem multæque doctrinæ, non tam Sacerdotem, quam ipsius divini Numinis interpretem, atque internuncium adire nobis visi sumus! Oh bonum enim verò Pastorem animarum oh peritissimum Rectorem, oh doctissimum Magistrum! Præclarè nobiscum actum est, si nos cum rudimentis Fidei errores non docuit, si ritè adhuc sacra peregit! Equidem A. A. cum hæc voce, ac memoria repeto, non possum, quin ardentissimo exestuem furore, non possum, quin vehementissimè in-

ve-

vehar in hosce stupidos homines, in hæc sine lingua capita, in hæc Prothorum simulacra, seu verius truncos, qui ut cum vate loquar, verbum Dei proiiciunt, & sapientia nulla est in eis, qui mentis hebetudine, verborum fatuitate, totius vitæ stultitiâ Sacerdotes cæteros, & claros, & præstantissimos magnam vocant in invidiam, efficiuntq; ut gens sancta, regale Sacerdotium, Magister officii Clerus turpissimâ flagret infamiâ ignorantiæ. Equidem eorum inscitiæ minùs acerbus essem, minùs commoverer, si dumtaxat eos libros haberent, undè magno impendio, longis vigiliis, assidua mentis cogitatione, improbo demum labore, peterent, atque ediscerent, quæ ad munus Pastoris ritè obeundum scitu necessaria videantur. Verum non irascar, non ægrè feram, & permolestè, cum per manus omnium circumferantur doctissimi Synodalium præceptionum codices, in quibus evolvendis, si aliquantum impendant industriæ, vel remissioris, lectionisque non admodum operosæ, magnam indè percipiant utilitatem, magnoque ditentur fructu sapientiæ? An non verò futurum sit tanto præmio, & emolumento hujusmodi studium? quin ego contendo A. A., integram, incorruptamque doctrinam ad ritè excolendos, informandosque Sacerdotum animos tantoperè necessariam non aliundè puriorem, purgatiorem, defœcatioremque, quam ex hisce sanctissimis legibus, velut è scatebrâ lucidissima peti posse. Et planè quid aptius sit, ad eorum mentes instituendas, quam ea decreta, quibus condendis singulari virtute, divinàq; scientiâ prædicti Legumlatores, vehementissimo restituendæ disciplinæ desiderio inflammati nihil priùs spectant, quam ut eorum, qui in sua ditione, & potestate sunt utili-

tati

rati serviant, nihil sibi antiquius, quam sui gregis salutem, integritatem morum, incrementum virtutum, incommodorum remedia, nitorem Templorum cultum Dei immortalis, denique fidem, pietatem, religionem proponunt? ubi spirat, ac loquitur sapientissimorum Pastorum scientia? ubi collecta sunt sapientiora quæque instituta per antiquas, abrogatasque Synodos, dispersa, atque diffusa? ubi denique videre est quidquid multò labore, diuturnisq; vigiliis vel in immensis Sanctorum Patrum monumentis exquisitum, vel è divinis sacrarum paginarum fontibus haustum in nos Antistitum nostrorum cura, cogitatioque derivavit? Sed verecundiùs hàc de re jamdudum loquor, quod adsunt viri, qui melius quam ego, atque adeò optime omnium rem nostram confirmare possint. Ne igitur, aut mihi nimium, aut parum vobis tribuere videar, utar testimonio vestro gravissimo ornatissimi PP., qui ita estis omni disciplinà culti, ut non vos a Synodis, sed Synodi a vobis regi, moderarique possint. Aliquam ex iis recitate, quæ ne longius cogitatione peregrinemur intra hos eosdē parietes, magnà nostri ordinis frequentià lectissimo totius Diœcesis conventu sapientissimè ad hanc diem latæ sunt: eaque præcepta, atque instituta, quibus scio vos abundare cum illis conferte, quibus ex earum lectione augeri potuit quilibet animarum Præses, elapsis illis temporibus, cum vigebant. Vos optimè de Deo immortali, de Fide, de Religione sentitis? at illic, an non eà tota capita quæ prima sunt eàdem de re gravissimè, sanctissimèque loquuntur? Inest in vobis mira quædam scientia, tam multis experimentis firmata sacrorum operandorum? Quid elegans in eorum ritibus, quid inconcinnum, qui modus sit, vos

non

non latet? at si liceret vobis quod scitis voluntaria quadam oblivione conterere, dolendum non esset de tam gravi jactura, foret enim præstò liber, undè tanta iterum ubertate rerum mentem ipsi vestram exornaretis. Demum Pastorale munus exemplis ipsi vestris præclarissimè confirmatis, quod illic præceptis optimè definitur. Ut nemini obscurum esse debeat, doctrinam, quæ è Synodis petitur eam esse, quæ perfectissimum, absolutissimumque Pastorem animarum facere possit, ac sæpè soleat. Profectò si ad utilitatem omnes natura rapimur, quis non eam, quæ in Synodis maxima est, atque multiplex studiosissimè persequatur? Vos, vos inquam præstantissimæ leges, de suo sacros Moderatores officio commonetis,vos eruditis quos errores declinent, quam viam teneant, quibus in rebus sint remissiores, quibus studiosiùs insistant, denique propositâ negligentiæ pœnà efficitis, ut si maximè velint, ab officio recedere vereantur. Hinc verò quam multa veniant ad Populos commoda, quanta rerum divinarum cognitio sequatur, quanta fidei scientia existat, nec facile est cuiquam dicere, nec si facile cæteris esset, mihi propter inopiam orationis, tantam rem suscipiendam esse existimarem. Satis superque illud habeo dicere, quicquid est in populis scientiæ, quidquid eruditionis, id omne a Synodis ad Sacerdotes, a Sacerdotibus ad populum aptissimà derivatione manare. Etenim sacri Rectores addiscere coguntur quæ docenda sunt, & quæ didicerint imperitum vulgus docere, quæque docuerint, ut ab omnibus serventur etiam, atque etiam contendere. Hîc verò licet, ut quisque intelligat, cur æternum cum Synodalibus Comitiis bellum semper fuerit improbis, perditisque hominibus,

qui

qui in aliqua hæreſi fuere, atque obſtinatione quadam ſententiæ defixi tenebantur, cur palluerint ad ea accerſiti, cur ſubterfugerint, cur proſternati ſint, quoties ea parari ad evellendos errores quos diſſeverant, audiere. Tanta enim eſt lux ſcientiæ, tantus eſt doctrinæ ſplendor, qui è Synodis effunditur, ut vel obtuſam cujuslibet aciem feriat, nec ſinat in aliqua rerum ad fidem ſpectantium ignoratione verſari! Utique dicet quis, verum ſcientiæ noſtræ videris oblitus, qui tuas iſtas Synodos hoc eſt tantulos libellos in hac voluminum frequentia, in hac ſcriptorum multitudine, & copia tantoperè obtrudas. Ego ne quemquam ſolerti ingenio, prudentemque in exiſtimando virum hoc uti reprehenſionis genere poſſe credam? Si enim eſſet harum inſtitutionum cognitio magna, atque difficilis, ſi infinitis concertationumque plenis quæſtionibus contineretur, dolendum minus eſſet ſi rerum difficultas à ſuſcipiendo magni evolvendi labore voluminis abduceret. Sed oh Deus immortalis? carpuntur, quia breves, taxantur, quia per exigui, reiiciuntur, quod ita ſummatim perſcripti ſint codices, & uno quaſi oculorum obtutu perluſtrari toti poſſint. Date veniam audaciæ PP., ſeu verius obſervantiæ erga vos meæ, ſi tam breves infinitæ veſtræ ſapientiæ cancellos circumdedi, ſi præcceptiones tam parvo in codicillo conſtrictas, atque conglutinatas, vobis in immenſis libris palleſcere ſolitis per legendas propoſui: id enim imprudens feci: Neſciebam nomine brevitatis magnam ſibi invidiam conflare libros, qui diſperſa per multos auctores, latèque diffuſa parvo uni circuitu cogant, circumſcriptàque explicatione concludant. Prodeat in medium illud Mediolanenſis Eccleſiæ ampliſſimum decus

Carolus Borrhomeus, qui suam Diœcesim incultam, atq; horridam, omnibusque vitiorum vepribus obsitam ità libellis hujusmodi, quasi eleganti cultu, fœcundisque seminibus lætificavit, atque consevit, ut ex agro deserto, sterili, inerti, studiosè cultum fœcundè consitum, atque ubertate virtutum feracissimum reddiderit. Prodeat inquam in medium, suamque ipse inscitiam culpet, imprudentiamque reprehendat, quo nec immensa volumina sapientissimorum hominum cogitarit, nec aliquam doctrinæ, quà sui florebant rationem habuerit, nec quemadmodum labenti religioni consuleret satis rectè providerit. Quin attendite AA. fremant omnes licet, dicam quod sentio, fortasse audaciùs, verum tamen dicam. Uni mihi videntur Synodorum libelli omnia cæterorum doctorum volumina, & utilitatis ubertate, & rerum usu superare. Illic enim omnia sunt dissoluta, atque divulsa, & immensis quæstionibus implicatissima: hîc verò collecta sunt, atque constricta, posita sunt ante oculos, collocata in usu quotidiano, neque ità multis capitibus, & literis comprehensa. Illic communi omnium bono consulitur: hîc unum nostrorum spectatur. Illic haud facilè in tam confertà opinionum turbà perspicias, quæ ad rem tuam pertineant: hîc verò nihil est quarè scrupulosus sis in eligendo, habes enim in capita digesta, & dispertita, quæ optima sunt, quæ per commodè cadunt, quæ tibi, quæ loco, quæ tempori aptissimè conveniunt. Ut alia omittam hoc satis est. Etiamsi in cæteris libris omnia essent summa, ut planè sunt, in his verò ne essent quidem mediocria, nihil tamen à sententià recederem. Quæro enim utrum horum sit faciliùs, an, ut severè custodias, quam ut religiosè serves

legem

legem ſummà ope Legislatores nitantur, cui niſi obtemperes, judicia formides, judicem timeas, multationes perhorreſcas, an quam, nec ipſe per te rogaſti, nec ab aliis ipſe accepiſti, nec ea fœdiſſimè proſciſſa, ne in te vindicetur pertimeſcas? Continentur ſanè in aureis Patrum fontibus optima decreta, ſaluberrimæ inſtitutiones, ſanctiſſimæ diſciplinæ: Sed quid, inquit Horatius, Poëta Philoſopho comparandus, quid leges ſine moribus vanæ proficiunt? quid tot ſapientiſſima inſtituta ad utilitatem Chriſtianæ Reipublicæ conducant niſi ex iis optima virtutum documenta deſumantur, quibus vita omnis ad virtutem, & ad moderationem informetur? Quæ cum ità ſint, i nunc, & ingentia iſta volumina noſtris legum libellis anteferenda contende. Illud utique aſſequère, ut vir maximo ingenio, tantis rebus pari, captuque vaſtiſſimo habeare: At numquam, ut a mea, in quà ſum ſententia, ſeù veriùs pertinacia diſcedam. Quod cum dico non ego Patribus Synodos, aut injuriosè comparo, quaſi pares, aut imperitè, & imprudenter oppono, quaſi meliores: ſed quia ea continent, quæ tempori, loco, noſtriſque hominibus conveniunt: idcircò non rerum ubertate, ſed utilitate, non ſcientià, ſed uſu arbitror antecellere. Etenim ſicut in artè medicà non ea cuilibet ſalutaria, quæ vel pretioſiora per ſe ſunt, vel in aliquo morborum genere potentiora, ſed quæ illius Corporis relevandi vim habent, ità propoſiti ſunt a me Feſulanæ Reipublicæ hi libelli, non quaſi pretioſiſſimi omnium, ſed pro loco, atque tempore ſaluberrimi. Quam ſanè laudem, atque gloriam, non invidere modo, atque detrahere noſtris debet Synodis nemo, verùm etiam in meam quiſque ſententiam pedibus eat, illudque mecum

confirmet necesse est, hosce quantulоscumque codices, cæteris, quantumvis ingentibus voluminibus, vel utilitate præstare, vel saltem secundos non esse, in illis quidem certè quidquid est, pulchrarum institutionum complecti; profectò quod pro ratione temporis expedit præcipere, sine controversia, quid omnibus de sacra religione sentiendum sit, quid docendi sint populi, quibus à vitiis deterrendi, qua conditione operanda sacra, denique perfectam, absolutamque Dominici gregis erudiendi rationem, & normam certis quibusdam finibus constitutam exhibere, ultrà quos nec exire opus sit, nec si opus sit, magnoperè laborandum. Hàc autem specie utilitatis objecta, non dubito quin commoti sitis, atque inflammati, quin ad eam suavissimè rapiamini, quin eam vobis maximè expetendam putetis. Quarè etsi præstaret orationis cursum totum conficere, quam ubi semel è portu solveris, & inconcertationum fluctibus provectus sis repentè subsistere: tamen ne vestrà abutar patientià, neque eà benignitatis aurà, quà adhuc a vobis sum adiutus destituar, contraham vela sermonis, & in eum, unde abii portum me recipiam. Utinam assequutus illud sim, ut sacri Ecclesiarum Præfecti, amore complectantur, sinu foveant, conterant manu, oculis perlustrent hosce sapientissimos, & planè aureos codices, fontes æquitatis, magistros scientiæ, vitæ moderatores, Christianæ Reipublicæ optimos duces. Sentient profectò, quam molliter docendo sopitam excitent vigilantiam, quam acres addant stimulos lentitudini, quãto subsidio sint oblivioni, ut sedent consilio dubitationes, ut simultatum, & contentionum incendia restinguant, ut mores ad severitatem, dicta, & facta ad religionem, vitam omnem ad gravi-

gravitatem informent, ut denique Paſtores ad ſuum ritè peragendum munus hortentur, moneant, juvent, manuducant. Quibus multò maximis, longèque præſtantiſſimis propoſitis bonis quotuſquiſque reperietur liberaliter educatus, qui hos vivendi præceptores, atque diſcendi patiatur jacère, qui ſi obſerventur, ſi colantur fieri non poteſt, quin Sacerdotum ſcientia ad ſummum nitorem efflorefcat; in quibus continetur populorum ſalus, morum integritas, ſplendor diſciplinæ, ſanctitas, pietas, religio? Jam verò Synodum, quam habemus vos ſuſcepturos A A. certis de cauſis adducor, ut ſperem, ipſe autem, ut ſuſcipiatis hortari non audeo. Primum enim impedior, quòd ſcio vos ultrò cogitare quo loco ſitis, quà dignitate, quid commendatæ vobis, atque concreditæ multitudini dare, quid reddere Deo immortali debeatis: impediar etiam, quòd intelligo, vos excubare ſemper animo, & aciem in omnes partes intendere, ut videatis, quomodo doctrinæ quà floretis, virtuti, qua inſtructi, & ornati eſtis, aliqua, ſi qua poteſt, fiat acceſſio: Deinde ità Patris amantiſſimi conſpectus quo fruimur, ita hæc tanta diei fauſtiſsimi celebritas, hic ſplendor, hæc amplitudo, hæc lux, quam ex ampliſsimo conſenſu veſtro, velut obortam aſpicimus, ita denique res ipſa per ſe hortari, & acuere quemlibet poteſt; ut nihil cauſæ ſit, quarè diſtrahatur deliberando animus meus, & in ancipiti cura verſetur. Poſſum enim, poſſum jure optimo vobiſcum lætari, qui tam ſitienter, tam avidè Synodum, ſanctioneſque ſanctiſsimas expectetis: poſſum tibi Feſulana Eccleſia meritiſsimè gratulari, cui tam ſpectati viri, ſingulari virtute, præclarà, divinàque ſcientià probatiſsimi contigerint. Ad quos equidem,


dem, cum oculos converto, ſpeciem quamdam videre mihi videor hujus Eccleſiæ, quæ cum anteà ſemper ornamentis omnibus abundaverit, tum verò hoc tempore, tam eleganti cultu parata, tantà dignitate, ornatuque illuſtrata conſpicitur; ut certò vaticinari poſſe mihi videar, numquam fore, ut tam compoſita pulchritudo ullà umquam labeculà, ullàque in poſterum turpitudine deformetur.

Dixi.

*
* *



IN



IN NOMINE SANCTISS., ET INDIVIDUÆ
TRINITATIS
PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.
Amen.

NOs Aloysius Maria Strozza Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Fesulanus, & Comes Turrichii. Ad majorem Dei Omnipotentis, Beatissimæ semper Virginis Mariæ, ac D. Romuli Primi hujus Fesulanæ Ecclesiæ Præsulis, perpetuique Patroni, in hac prima nostra Diœcesana Synodo, Cleri, & Populi Nostri saluti, profectui, & sanctitati consulere cupientes, vetera ferè omnia renovantes, & nonnulla noviter instruentes, in id intenti præcipuè, ut ambulantibus in medio umbræ mortis regimen præstemus, non discrimen augeamus, Decreta infrascripta statuimus, promulgamus, atque sancimus.



IN-

INDEX TITULORUM.

LIBER I.

LIBER II.

CON.

r- XXV



CONSTITUTIONUM SYNODALIUM LIBER PRIMUS.

De Fidei Professione.

TIT. I.

SUMMARIUM.

1 *Fides Catholica perpetuò intacta servetur.*
2 *Parochi præcipuè, quomodò in id debeant cooperari.*
3 *Malè de Fide sentientes, aut alias suspecti, ubi denunciandi.*
4 *Ars Magica, & superstitiones prorsùs eliminentur.*
5 *Imagines sacræ non valeant per vagos circumferri sine licentia.*
6 *Fidei Professio per quos, & quomodò elicienda.*

1 

Acrosancta Fides Catholica humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, sicut in hac Ecclesia, & Diœcesi D. Romulo Patrono Sacratissimo prædicante, & proprio sanguine irrigante effloruit integerrima, ita perpetuò servetur intacta. Ad conservandum illibatum omninò candorem ejusdem, nil recipiatur, quod a Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra non sit receptum; Si quis audiatur aliter sentiens, aut annuncians firmiter rejiciatur, exprobrando, quod ait Apostolus ad Galat. 1. 8. *Licet Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit*. Parochi ad id pro
2 viribus cooperentur, tum edocendo facili, & probata methodo

Fidei rudimenta, & ignaris benè dilucidando Sacrosanctos Ecclesiæ sensus circà Divina Mysteria, Sanctorum, Sacrarum Reliquiarium, & Imaginum venerationem, aliaque similia ex S. C. T. sess. 25. cap. 2., tum populis sæpè memorando eximium D. O. M. beneficium, qui eos dignos effecit, ut sortirentur Natales in gremio unicæ, & veræ Fidei, eosdemque adhortando, ut, pro ejusmodi munere, gratias Divinæ Majestati quamplurimas persolvant assiduè.

§. I.

3 PArochi omnes in Parochiis, & RR. Plebani in Plebanatuum districtu vigilent, ne splendor lucis Evangelicæ in minimo obnubiletur, quare si audierint quidpiam contra Divinorum Mysteriorum, vel sacrarum literarum venerationem, si quis eruperit, vel hæreticus, aut de hæresi suspectus, vel quomodolibet de Catholica Fide malè sentiens, illicò vel hæreticæ pravitatis Inquisitori, vel Nobis denuncietur: Ad hanc denunciationem tenentur Fideles omnes sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod sæpius fiat omnibus manifestum inter Missarum solemnia, ne zizania latentèr superseminari contingat frumento electo. Eadem quoque ratione
4 cordi sit Animarum Rectoribus Magicam Diabolicam artem, superstitiones, & maleficia omnia prorsus eradicare, quarè pluries in anno admoneantur Fideles, & deterreantur aliquandò, ut à similibus abstineant, & in concursu populi declaretur reatus peccati mortalis, quem incurrunt hæc exercentes, vel aliis committentes, seu permittentes, & ulteriùs pœna suspensionis, qua Clerici, pœnaque excomunicationis, quà Laici in his casibus afficiuntur ipso facto, utraque nobis reservata juxtà sancita per Prædecessores nostros, quæ confirmamus in totum.

Imagines quoque sacræ non valeant circumferri ad ostensionem,
5 vel venerationem, & populus convocari canendo cantiunculas, & quæstuando absque nostra licentia sub pœna arbitrii, & Parochi vagos quosdam cum iisdem solitos circumire admoneant, & si moniti non destiterint, nos certiores reddant.



§. II.

§. II.

6 FIdei profeſſio per quoſcumque à jure, vel conſuetudine ad eamdem emittendam obſtrictos fiat ad formam conſtitutionis S. M. Pii IV. Qui secùs fecerint ſciant ex S. C. T. præſcripto beneficii fructibus privatos fore, & reſtitutionis onere adſtringi, non obſtante poſſeſſione, cujus beneficio non juvantur. [a] Ludimagiſtri pariter ad hoc teneantur, qui, ſi intra menſem à die ſuſcepti muneris id omiſerint explere, plectantur pœna Scutorum decem locis piis applicandorum, nec ignorantiæ allegatione excuſentur, quippè obligationes proprii muneris quiſque, vel ſcire tenetur, vel indagare.

De Doctrina Chriſtiana.

TIT. II.

SUMMARIUM.

1 *Doctrina Chriſtiana explicatio res magni momenti demonſtratur.*

2 *Quomodo hæc ſit habenda, & annua atteſtatio ſuper implemento præſcriptorum tranſmittenda.*

3 *Pœna ſuſpenſionis decernitur contrà Parochos omittentes per ſex vices in anno Feſtis aliquot exceptis.*

4 *Catalogus pro interventuris quomodo per Parochos habendus, & alia circa methodum in explicatione tenendam, & negligentes, vel Parentes eorum admonendos, & coercendos.*

5 *Poſt primum Evangelium Miſſæ aliqua ſacra explicatio demandatur, & recitatio Actuum Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis cum Indulgentia conceſſione, & pœna contrà omittentes.*

6 *Præpoſiti, & Plebani ad invigilandum de omiſſionibus Deputati declarantur.*

7 *Sacerdotes in hoc auxilium præbere hortantur, Ludimagiſtri propriæ obligationi ſatisfacere, & Parochi ſummoperè id cordi habere commonentur.*

1 UT qui ab ipſo nativitatis exordio tenebræ erant, fiant lux in Domino, declaratio Divinorum Sermonum requiritur cla-

[a] *Synodus 1690. tit. p. c. 2.*

clara, & assidua, quæ illuminet, & intellectum det parvulis: Inter præcipuas ergò quorumlibet Animarum Rectorum sollicitudines, declaramus, & volumus, rudimentorum Fidei, seu Christianæ Doctrinæ explicationem, qua pueri, præsertim instruantur, fidelibusque omnibus dietim memoretur quid credendum, quid sperandum, quid amandum, quidve opere complere, & à quo declinare teneantur: Et S. C. T. mandata, & nostrorum Prædecessorum monita omnia perstringendo, Parochorum non solùm obligationem in re tanti momenti cupientes excitare, sed etiam desidiæ occurrere Parochianorum, quorum non rarò reperiuntur nolentes intelligere, ut bene agant; Methodum pro facilitate docendi, & addiscendi, regulas pro concurrentibus alliciendis, & pœnas pro negligentibus formidine impellendis sic præscribimus.

§. I.

2 Singulis (a) Dominicis, aliisque festivis diebus debeant Parochi omnes in Fidei rudimentis Animas sibi commissas instituere, seu Christianam Doctrinam explicare, pueros præsertim instruendo de obedientia, qua erga Deum, & Parentes adstringuntur: Confidimus profectò omnes, prout hortamur enixè, de neglecto potissimo hoc eorum Ministerii munere numquam facturos se reos, apud Tribunal Christi, ubi oportet demùm omnes manifestari, sed, ut quantùm possumus, desides quoque, si qui forent, coerceamus, Tribunal pariter nostrum in singulos annos volumus de defectibus in hac materia accuratam rationem exigere: Ideò per totum mensem Maii transmittatur annuatim per quemlibet Parochum [b] attestatio trino teste munita, super implemento in hoc capite præscriptorum, & omittentes teneantur ad pœnam juxtà nostrum arbitrium;
3 Quod si per sex vices, (c) vel continuas, vel interpolatas intra unius anni spatium aliquis Doctrinam Christianam prætermiserit explicare (exceptis tamen diebus aliquot solemnioribus videlicet, Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, & SS. ejusdem Nativitatis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis Beatiss. Virginis Mariæ,

(a) S.Concil.Trid.cap.24.de Refor.Synod.1622.tit.de Doctr.Chr. (b) Synod. 1679.tit. 2.cap.unic. (c) Synod. 1648. tit. 3. Decr. 2., & Synod. 1679.tit. 2.cap.unico.

riæ, Omnium Sanctorum, & Sancti Titularis) pœnam suspensionis à divinis nobis reservatæ ipso facto, nec non duorum Scutorum locis piis applicandorum incurrat.

§. II.

4 UT clara, & univoca servetur methodus ab omnibus, & rudium mentes, ut assolet, variatione non perturbentur; Nemo audeat discedere a Romano Cathechismo, & (d) libello super hujusmodi Fidei rudimentis edito a clara memoria Cardinalis Bellarmini ubique recepto, totque encomiis universim commendato, & transgredientes puniantur pœna Scutorum duorum: Hora eligatur populo magis commoda, quà adveniente convocentur omnes cujuscumque ætatis, & pulsata campanula, vel alia qualibet industria inquirantur, & excitentur otiosè degentes per vicos, & plateas, sivè in Cæmeterio vanis colloquiis detenti, & ad salutare convivium adhortationibus, & aliquandò etiam objurgationibus in omni tamen patientia, & lenitate adhibitis intrare compellantur: Ætate provecti publicè minimè interrogentur, ne si respondere nesciant, nimio rubore suffusi ad sacram hanc funtionem ingredi, de cætero pertimescant. Unusquisque Parochus Catalogum habeat juxtà formam dandam in additionibus, quæ est sub Num. I. in quo pueri, & puellæ à septennio usque ad annum vigesimum adnotentur; Qualibet vice præsentium, & absentium fiat publica supputatio, & si qui per plures vices non intervenisse depræhendantur, causa absentiæ indagetur apud Patres familias; Nisi hæc justa fuerit, veluti infirmitatis, vel accessus ad commodiorem Ecclesiam, & similium interroget, & quos repererit culpabiliter nescire, quæ sunt scienda, arguat, & increpet, semper tamen in omni patientia, moneat deinde eorumdem, vel Parentes, vel qui iis stant loco Parentum de obligatione gravi, qua ergà filios, aliosque subditos adstringuntur, nisi totis viribus incumbant, Religionis præceptis per Parochos erudiri; quod si monitionibus neglectis non resipiscant, ad Sacramenta percipienda non admittantur, tum ipsimet ignorantes, tum eorum [e] majores, si in hoc defecerint, nisi in casu ne-

---

(d) *Synodus 1635. cap. 1.* [e] *Synodus 1670. tit. 2. cap. 5. Synodus 1679. tit. 2. cap. unico.*

necessitatis, & tunc si contritionis, & propositi emendationis dederint signa.

§. III.

SEd ut alantur hoc pabulo salutari, etiam retrectantes, qui aut
5 Parochiam sæpè declinant, aut vix accedunt dum Missa peragitur, mandamus inter Missarum solemnia unum, aut alterum ex Fidei articulis, seu Decalogi Præceptis post primum Evangelium facili methodo explicari, & subinde Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis Actus, patrio sermone, juxtà formulam dandam in additionibus sub Num. II. à Parocho recitari, populo repetente, nosque devotè recitantibus nostrorum Prædecessorum [*f*] vestigia sectando, nostram solitam Indulgentiam quadraginta dierum elargimur, si qui verò Parochi in hoc adimplendo defecerint per tres vices in mense, pœnam luant Scutorum quatuor, si autem per duos menses, pœnam suspensionis decernimus.

§. IV.

AD stabiliendam inviolabiliter horum omnium observantiam,
6 in Præposituris, & Plebanatibus [*g*] specialiter super hoc eligimus deputatos RR. Præpositos, & Plebanos, ut adeant aliquotiès unam, & alteram ex Paræciis subordinatis, & nos faciant certiores, si quid agnoscant neglectum, vel inobservatum. Hortamur
7 itidem omnes Sacerdotes (*h*) in hoc sacro exercitio Parochos adjuvare, lucraturos plurimas Indulgentias adjectas in additionibus sub Num. III. Clerici verò à Parochis requisiti teneantur in hoc auxilium porrigere, ut ità sibi gradum faciant ad Sacerdotale fastigium. Ludimagistri pariter meminerint ex Constitutione (*i*) Leonis X. teneri Christianam Doctrinam scolares edocere.

§. V.

TAndem omnes per viscera misericordiæ Dei nostri obtestamur, & obsecramus in Domino, ut in hoc votis nostris obsecun-

---

[*f*] *Synod.* 1636. *Synod.* 1690. *tit.* 2. *cap.* 2. 3. 4. [*g*] *Synod.* 1648. *tit.* 3. *Decr.* 5. (*h*) *Synod.* 1648. *tit.* 3. *Decr.* 3. [*i*] *Constit. vii. Superna* §. 32.

secundare, omnemque adhibere conentur solertiam, vigilantiam, sollicitudinem, scientes Parochos magis de hoc sollicitos, magis futuros juxtà cor nostrum, & quod longè plus est juxtà cor Dei, qui tales appeliat Pastores *Pascentes gregem scientia, & doctrina* Jeremias 3. 15. Quod si obsecrationibus non flectuntur, terreantur saltem, non quidem pœnis à nobis impositis, sed trepidando ad terribile illud *Væ*, quod intonat Omnipotens Pastoribus gregem non pascentibus, plurimis comminationibus per totum *caput trigesimum tertium Ezechielis* ibi diffusè videndis.

De Prædicatione Verbi Dei.

TIT. III.

SUMMARIUM.

1 *Utilitas Prædicationis Verbi Dei.*
2 *Parochi tenentur ex debito officij prædicare.*
3 *Publicatio Constitutionis S. Pii V.* Super Gregem Dominicum *aliquoties in Anno præcipitur.*
4 *Conciones noctu haberi prohibentur, & separatio masculorum a feminis ad Concionem concurrentibus pro posse commendatur.*
5 *Parochi valeant omittere prædicationem tempore Quadragesimali, invitando, & praeundo ad Concionem in Finitimis Ecclesiis habendam.*
6 *Concionantes omnes, quid observare, quomodo se gerere, & quæ evitare teneantur in proprii muneris implemento.*
7 *Concionatores vaniloqui, & similes coerceri, & denunciari mandantur.*
8 *Monentur omnes ne publicè arguant delinquentes.*

1 Verbum Christi, ex quo per auditum est fides nostra, Divinum illud est semen, quod oportet in Fidelium cordibus tempore opportuno dispergi, & frequentibus sacrarum hortationum imbribus irrigari, ut Deo incrementum tribuente fructus centesimus excrescat, & plurima messis in Cœleste horreum congregetur. Ob id Prædicatio Divini hujus Verbi, Sacris Sanctionibus, & Parochis tamquam proprium, & præcipuum eorum munus præcipitur, & Viris Apostolicis aliquibus anni temporibus commendatur.



§. I.

§. I.

QUo ad Parochorum obligationem iisdem memoraffe fit fatis
2 difpofita per *S. C. T. feff. 5. cap. 2. feff. 24. cap. 4. de Reform.* ubi perlegant, & benè ponderent quàm ftrictè de hoc prægraventur, fub pœnis etiam, & cenfuris, fi qui fortè non ex debito, fed ex charitate, vel devotione id fibi arbitrarentur incumbere. Omittentes, vel negligentes, ultra Ecclefiafticam Poteftatem, etiam Deum vindicem reformident, memores Gentium Doctoris clamantis: *Væ mihi, fi non evangelizavero.* 1. Chorint. 9. 16. Meminerint pariter ex mente ejusdem S.C. populum diligenter admonere, teneri unumquemque Parochiæ fuæ intereffe, ubi commodè id fieri poteft, ad audiendum Verbum Dei, ut pluribus concurrentibus major fructus habeatur.

Teneantur Parochi fub pœna Scutorum duorum locis piis appli-
3 candorum prima Dominica non impedita menfis Septembris fingulis annis publicare ad concurfum populi Conftitutionem S. Pii V. *Super Gregem Dominicum*, cujus fummarium dabitur in additionibus, unà cum Epiftola S. M. Innocentij XI. publicationem ejufmodi præcipiente fub Num. IV. Nec non tempore S. Adventus, & Quadragefimę teneantur fub eadem pœna Concionatores admonere de tali publicatione repetenda.

Conciones noctù haberi interdicimus omnino, etiam Feria quin-
4 ta in Cœna Domini, fub pœnis gravibus noftro arbitrio refervatis; De hoc Parochos ipfos oneramus, ficut etiam, ut mafculis ad Concionem concurrentibus locum decernant à feminis, quantum Ecclefiæ finit capacitas, feparatum faltem mediante aliquo lineo, aut fimili operimento.

Valeat per eosdem Animarum Rectores omitti tempore Qua-
5 dragefimali prædicatio, ubi vel in propria, vel in contigua aliqua Ecclefia habeatur concio, fed populum hortatione fuadere, & exemplo præire ad illuc conveniendum non omittant.

§. II.

QUantum verò ad Viros Apoftolicos ad id mittendos, volumus
6 eosdem fidelitèr obfervare fancita per S. Conftitutiones Gre-

go-

gorii XV. *Inscrutabile*, & Clementis X. *Superno Magni Patris familias*.

Sermo illorum vivus sit, & efficax, & penetrabilior omni gladio ad vitia exterminanda, neutiquam verò fucis, pigmentisque circumlitus ad eloquentiam jactandam, ut in ore eorum resonet, non verbis tantum, sed factis: *Ego non quæro gloriam meam*. Joan. 8. 50. Tamquam Domini Nostri Jesu Christi cooperatores in Animarum salutem, ut vitam habeant, & abundantius habeant, unicè peccatorum emendationem, errantium reductionem, malorum usuum extirpationem intendant, & gaudeant summoperè, non si concurrentes videant ad elegantem facundiam obstupescere, sed si cordis compunctione, & peccati exhorrescentia excitata, quos viderint accessisse auditores verbi, recedere noscant, non auditores obliviosos tantùm, sed factores operis.

7 Si fuerint umquam in hoc ministerium assumpti, qui moribus ea, quæ annunciant cæteris, in semetipsis non probaverint, aut inepta vaniloquentia, aut scurrilibus argutiis Evangelicæ veritatis, & sacrarum litterarum sensum depravaverint, unde scandalum maximum exoriri nemo est, qui non videat, Parochi nos certiores reddere teneantur sub pœna nostræ indignationis: Eosdem verò Concionatores sic divina abutentes authoritate prohibemus omninò, & inhabiles declaramus, ut in nostra Diœcesi valeant amplius ad hoc ministerium admitti. Et statim, ac nostras ad aures id pervenerit, à concionando desistere præcipiemus.

8 Præ omnibus caveant quicumque, ne concionantes aliquem nominatim reprehendant, neve alicujus errorem ita depingant, ut errantem ante oculos audientium ponant; Abstineant penitùs ab objurgationibus, contemptum auditorum præseferentibus: Hoc Parochis præcipuè mandamus sub pœna nostri arbitrii: Nonnulli quippè in officio delinquunt, dum corda populi sibi commissa, quæ emollire tenentur, conviciis exasperant, & ad emendationem indurant.



De Sacramentis.

TIT. IV.

SUMMARIUM.

1 *Sacramenta nova Legis Instrumenta æterna salutis.*
2 *Parochi prompti sint ad eadem administranda, assidui ad virtutem eorum explicandam, & de puritate interna, & externa in iisdem tractandis valdè solliciti.*
3 *Quò ad Pœnitentia Sacramentum se promptiores exhibeant stando diebus Festis intùs, vel ante Sedem Confessionalem.*
4 *De ægrotis major sit sollicitudo, de quibus inquiratur in concursu populi, & ad Sacramenta celeriter adhortentur.*

1 ECclesia Dei sicut a Christo Domino in abundantia misericordiarum suarum fuit instituta, sic quotidie perenni gratiarum effusione fecundatur. Sacramenta namque novæ Legis a Divino ejus latere effluxa, tamquam instrumenta salutis relicta sunt, quibus justitiæ Vita, vel affluenter acquiritur, vel acquisita augetur, vel abundantiùs reparatur amissa.

§. I.

2 PArochi non solùm die, noctùque rationabiliter petentibus administrent, sed etiam virtutem eorum admirabilem, usumq; & utilitatem explicent dilucidè pro suscipientium captu, utentes Romano Cathechismo, & ad majorem singulorum facilitatem schedula Sacramentorum omnium essentialia continentem subiicimus in Additionibus sub Num. V. (*a*)

Debitam ergà ejusmodi Sacra Mysteria, quorum sunt dispensatores, exhibeant venerationem, tum eadem decenter tractando, & observatis ad unguem cæremoniis præscriptis in Romano Rituali, tum maximè cavendo, ne tam pura tractent impuri, scilicet mortiferæ labis sordibus inquinati, metuentes quod Magnus Pontifex D. Gregorius deplorat homil. 17. in Evang. *Ingrediuntur Electi Sacerdotum manibus expiati Cœlestem Patriam, & Sacerdotes ad Inferna supplicia festinant.*

§. II.

(*a*) *Concil. Trid. sess. 24. cap. 7. de Reformat.*

§. II.

UT omnes hauriant in gaudio aquas hasce salutiferas de fonti-
3 bus Salvatoris, nullusque rubore, vel timiditate retrahatur præcipue à Sacramento Pœnitentiæ, se omnibus desiderantibus semper paratos, & declarent in pleno concursu populi, & actu exhibeant populo concurrente, aliquantùm commorando, singulis festis diebus vel antè, vel intùs Sedem Confessionibus destinatam.

Quotiès ægrotos adesse de Popularibus sciant, de quo volumus
4 diebus festis inquirere debere inter Missarum solemnia, ultrò invisant, etiam non vocati, & ad Sacramentalem Confessionem, debita prudentia, & charitate juxta casuum circumstantias adhortentur, occurrendo Conjunctorum, ut plurimùm negligentium procrastinationi; Accersiti quocumque tempore celeri alacritate accurrant.

De Sacramento Baptismi.

TIT. V.

SUMMARIUM.

1 *Per Sacramentum Baptismi spiritualiter renascimur.*
2 *Baptismi substantialia omnibus explicentur, cum per omnes contingere possit administrari.*
3 *Parentes non differant Infantes ad Fontem Baptismalem deducere ultra tres dies sub pœna excommunicationis.*
4 *Quomodo Parochi se gerere debeant cum Infantibus domi ob imminens periculum baptizatis.*
5 *Mulieres sine licentia Parochi in Arte Obtestricis non se exerceant, & quomodò licentia concedendæ, & confirmandæ.*
6 *Parochi, qui Fontem habent Baptismalem ne discedant Sacerdote ad Baptizandum non suffecto.*
7 *Libros habeant ad describenda nomina Baptizatorum.*
8 *Patrini quomodo instruendi, & qui in Patrinos admitti prohibeantur.*

A Statu peccati, in quo nascimur filii primi Adæ, non aliter
1 transire possumus in statum gratiæ, & adoptionem filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem Nostrum, quàm spiritualiter renascendo per Sacramentum Baptismi juxtà il-

lud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei.* [a]

Parochos non solùm Sacramenti hujus necessitatem, virtutemque
2 mirabilem pluries in anno volumus explicare, sed etiam omnia, quæ pertinent ad substantiam ejus, quæque materia, quæ forma, qualisque intentio requiratur, cum namque sæpius a quocumque de populo, & mulierculis etiam illud oporteat, juxtà occurrentes necessitates, ministrari, omnibus promiscuè necesse est cognita, & perspecta fore, quæ ad rectam ipsius administrationem exiguntur. [b]

§. I.

NE infantes post vitam temporalem acceptam irreparabile
3 subeant de æterna periculum, mandamus parvulos recens natos quamprimùm ad Ecclesiam deferri ad sacrum hoc suscipiendum regenerationis lavacrum: Patres teneantur de hoc esse solliciti, nec possint differre ultra tres dies sub pœna excommunicationis, quam Parochi, quoties de hoc agunt, memorare non omittant.

§. II.

DOmi, extra casum necessitatis, prohibemus hoc Sacramentum
4 administrari; Si urgente necessitate fuerit administratum, suppleantur in Ecclesia consuetæ Cæremoniæ, præsente tamen illo, vel illa, quæ domi baptizavit, ad deprehendendum, an essentialia pro validitate Sacramenti servata fuerint, & si de substantiali omissione rationabile dubium emergat, sub conditione Baptismus reiteretur: (c) Ad errores, quantùm fieri potest, evitandos, pro-
5 derit summoperè super Obstetricibus invigilare, quare nullam mulierem volumus posse hanc artem exercere, dempto casu necessitatis, nisi à Parocho licentiam obtinuerit in scriptis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: (d) Hæc licentia nemini concedatur, nisi per diligens examen reperta fuerit benè instructa, de omnibus ad validè Sacrum Baptisma ministrandum adhibendis: Concessio fiat gratis ad annum dumtaxàt; Et quotannis examine repe-

---

[a] *Concil. Trid. sess. 6. de Justific. cap. 4.* (b) *Concil. Trid. sess. 5. de Pecc. Orig.* (c) *Synod. Fesul. 1664. tit. 4. decr. 2.* (d) *Synod. Fesul. 1679. tit. 5. cap. 3.*

repetito, quoties benè callentes essentialia hujus Sacramenti repertæ fuèrint, toties confirmationem annuam habere valeant, & non aliàs. In unaquaque Parochia pariter sit cura Parochorum, ut saltem altera mulier adsit, quæ hanc artem Obstetricis exerceat.

§. III.

6 Parochi, qui in propria Ecclesia fontem habent baptismalem, non possint discedere ab eorum Cura, nisi Sacerdote suffecto, qui commodè hoc munus valeat explere; Contravenientes plectantur pœna ad nostrum arbitrium, non obstante qualibet excusatione, & licentia etiam de se absentando à nobis obtenta. [e] Libros
7 habeant, ubi describant statim nomina Baptizatorum, & omittentes sciant de gravissimo damno iis allato, quos omitterent describere, se teneri in conspectu Dei rationem reddere; in quos Nos etiam animadvertemus cum pœna ad nostrum arbitrium. In Patri-
8 nos non recipiantur minores annorum quatuordecim, SS. Eucharistiæ pabulo eo anno non refecti, publici peccatores, non callentes Symbolum Apostolicum, & Præcepta Decalogi, & pariter Regulares: Clerici quoque omnes non admittantur, qui si absque licentia id præsumpserint attentare, luant pænam Scutorum duorum: [f] Pro Patrinis admittendis, & instruendis super cognatione Spirituali, quam contrahunt, videatur *S. C. T. Sess. 24. cap. 2. de Refor. Matr.*, & Rituale Romanum, cuius omnia præscripta serventur adamussim.

De Sacramento Confirmationis.

TIT. VI.

SUMMARIUM.

1 *Parochi vigilent, ut pueri post septennium quo citiùs confirmentur.*
2 *Quomodo se gerere debeant cum confirmandis Episcopo præsentandis ad hoc Sacramentum suscipiendum.*

3 *Vit-*

---

[e] *Synod. Fesul.* 1664. *tit.* 4. *decr.* 2. (f) *Synod. Fesul.* 1648. *tit.* 5. *decr.* 2. 1679. *tit.* 5. *cap.* 2.

3 *Vittam deferant sacro Crismate liniti, nisi dispensentur & eorum nomina in præcipuo libro describantur.*

FIdeles, qui in Baptismo regenerantur ad vitam, mirifica Divini Spiritus operatione per Sacramentum Confirmationis roborantur ad pugnam.

Parochi omnes quantum per se valent, invigilent, & populum
1 exhortentur, ut pueros, & puellas post septennium expletum (antea enim absque justa causa Antistiti Confirmanti patefacienda fieri non expedit) quo citius curent Sacro Chrismate deliniri. Et ad Sacramentum hoc administrandum rationabiliter petentibus, non Visitationis occasione dumtaxat, sed quocumque loco, & tempore nos paratos exhibemus.

§. I.

QUoties ad Parochos notitia pervenerit de Sacramenti hujus
2 administratione per nos alicubi destinata, convocent confirmandos omnes, & de singulis examen habeant super virtute, & effectibus hujus Sacramenti, & non instructos rectè instruant: Quos autem idoneos censuerint, quia benè Mysteria S. Fidei, Dominicam Orationem, Symbolum Apostolicum, & Præcepta Decalogi callere noverint, Sacramentali Confessione eorum excepta, ad nos transmittant, cum attestatione super eorum idoneitate, & habita conscientiæ expiatione. De grandævis major sit sollicitudo, & si aliquis reperiatur dubius, an semel fuerit hac Sacra Unctione roboratus, non permittatur accedere, nisi dubio deposito, medio consilio prudentis Theologi, vel nobis dubietate hujusmodi patefacta.

§. II.

VIttam lineam, & mundam deferant omnes accedentes, &
3 non nisi Parochus possit eamdem removere post biduum elapsum; Quod si aliquis accesserit post expletam adolescentiam, ne fortè ob verecundiam Vittæ deferendæ abstineret, nos ætati, & imbecillitati indulgebimus à delatione dispensando. Nomina confirmatorum omnium describantur per Parochos in libro per eos retinendo sub pœna contrà non retinentes Scutorum duorum.

De

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

TIT. VII.

SUMMARIUM.

1 *Excellentia extollitur Divinissimi hujus Sacramenti.*
2 *Qualiter debeat illud asservari, ejusque Tabernaculum quomodò custodiri, & exornari.*
3 *Lampas perpetuò ardere debet ante ejus Altare sub pœna Scutorum quatuor.*
4 *Renovatio Sacrarum Particularum facienda juxtà temporum diversitatem, & simul Pixidis abstersio.*
5 *In delatione ad ægrotos Parochi honorificentiam curent, & populi libenter comitentur plures Indulgentias lucraturi.*
6 *Processiones in Festo SS. Corporis Christi cum decore, & devotione præcipiuntur, & ad eas Parochos intervenire mandatur.*
7 *Quæ Confraternitates ad Processiones prædictas teneantur accedere.*
8 *Quæ servanda in expositionibus SS. Sacramenti etiam per Regulares.*
9 *Nonnulla pro cultu, & decentia servanda in ejusdem dispensatione præscribuntur, & arceri mulieres, si indecenter, viros si cum armis accesserint præcipitur, sicut & retentio vasculi pro digitorum abstersione.*
10 *Parochi exponant utilitates emanantes ex frequenti perceptione Cœlestis Panis, ad frequentiam hortentur fideles, & ad debitam præparationem.*
11 *Omni zelo curent Communicantes non discedere prius, quam gratiarum actioni aliquod spatium temporis tribuerint.*
12 *Qualiter vigilare debeant, quidve populo promulgare debeant, & aperire circà præceptum Communionis Paschalis.*
13 *Nullus Sacerdos die Resurrectionis D N. J. C. hoc Sacramentum possit administrare illi, quem noverit de sua Paracia non fore.*
14 *Quomodo se gerere debeant contra Paschale Præceptum non implentes, & quam regulam servare, ut faciliter de contumacibus certiores fiant.*
15 *Cum absentibus post Pascha redeuntibus quid agendum.*
16 *Ægroti communicentur in Paschate, etiam aliàs hoc sacro pabulo refecti.*

17 *Pue-*

17 *Pueri quando primùm sint ad Sacram mensam admittendi, & instructio eorum per totam Quadragesimam quomodò haberi debeat.*

1 SIcut Christus Dominus erga homines, divitias velut sui amoris effundens, & memoriam faciens mirabilium suorum, Sanctissimum instituit Eucharistiæ Sacramentum, quod est Sacramentorum omnium perfectio, finis, & consummatio, nec non miraculorum omnium ab ipso factorum maximum; Ita præ cæteris oportet, ut studiosissimè, omnibusque pietatis, & religionis officiis, in ipsius venerationem, & cultum intendamus, & de tanto munere, re ipsa, & animo, interiùs, & exteriùs nos gratissimos exhibeamus.

2 Itaque præcipimus, ut in majori Altari, vel ipsi proximo honorificentissimè asservetur in Pixide argentea, vel alterius metalli intùs deaurata, cui substratum sit Corporale mundum intrà Tabernaculum decenter ornatum: Hoc nulla rimula perforatum sit, sed firmiter clavi argentea, vel saltem deaurata retinenda sub fida custodia Parochi, vel alterius Sacerdotis ab eodem deputati, nullo modo, nec quovis prætextu alteri reliquenda, sit occlusum: Desuper pendeat Umbraculum, vulgò = *Baldacchino* = vel circumcingatur Conopeo concordanti cum Officio diurno, vel saltem aurei coloris; Intùs verò sit contectum serico albi, vel rubei coloris; Nil aliud valeat ibidem recondi, non Reliquiæ, non Vasa Olei Sancti, non Pixis vacua.

§. I.

3 ANte Altare, ubi vivificum Sacramentum istud custoditur, ardeat perpetuò Lampas accensa, quæ sit Corporalis Præsentiæ Dei in æternum viventis perenne testimonium,& de hoc oneramus Parochos omnes in eorum Parochialibus Ecclesiis, & in aliis quibuslibet Ecclesiis, ubi debeat asservari, Sacerdotes ad earum regimen deputatos, & qui in hoc culpabiliter defecerint, absque ulla spe remissionis luent pœnam Scutorum quatuor, inter accusatorem, & pia loca dividendorum. [a] Renovatio Sacrarum Par-
4 ticularum tempore hyemali ultrà quindecim dies, æstivo autem ultrà decem dies non differatur, & hac occasione teneantur accuratè Pixi-

[a] *Synod. Fesul. 1679. cap. 6. tit. 5.*

Pixidem abstergere, fragmentis omnibus diligenter assumptis, & quicumque deficiat, sciat se gravibus pœnis obnoxium fore.

§. II.

Quoties Panis hic Cœlestis sit ad ægrotos deferendus, majori
5 qua valeat, honorifica pompa, & comitatu fieri studeant omnes: Ubi Societates non adsunt, quarum Confratres in associatione se piè exerceant, duos saltem viros, qui comitentur superinduti veste alba cum facibus accensis, destinare Parochis incumbat. [*b*] Ut verò fideles ergà tàm pium opus magis, magisque dietim accendantur, Parochi pluries in anno populo denuncient Indulgentias devotè associantibus per summos Pontifices elargitas in additionibus adiectas sub Num. VI.

§. III.

In solemnitate annua SS. Christi Corporis, Parochi omnes post
6 Missam celebratam in propria Ecclesia accedant ad Ecclesiam Plebaniam, cui subsunt, ut intersint Processioni Cotta, & decenti habitu induti, & sic non intervenientes, plectantur pœna Scutorum quinque: (*c*) Omnes quoque Confraternitates Laicorum intrà
7 Præpositure, vel Plebanatus, seu propriæ Parochiæ limites existentes hortamur, ut ad Processiones ejusmodi libenter, majorique qua valent, honorificentia, & decore interveniant; Illas verò, quæ a decennio solitę sunt interesse, omninò juxtà morem intervenire pręcipimus, per Præpositos, Plebanos, Parochosque cogi posse declaramus, nobisque jus animadvertendi contrà Officiales indebitè detrectantes resarvamus arbitrio nostro. Sacerdotes omnes enixè hortamur, ut interveniant, Clericis verò præcipimus, & nisi intervenire sint soliti, ad Sacros Ordines admitti neutiquam sperent. Hæc Processio per nullum Parochum haberi valeat in propria Cura eodem die, quo habetur in Plebania, cui subest, nisi usus immemorabilis ejus favore invaluisset: Hanc sacram functionem expleri majori, qua fieri possit, majestate, & magnificentia, nec non concurrentium devotione, & religiositate servata, RR. Plebanis ex-

[*b*] *Syn.Fes.*1679.*t.*5.*c.*8. (*c*) *Syn.Fes.*1648.*t.*22.*decr.*3.1690.*t.*18.*cap.*2.

expreſsè præcipimus: Idem ſervari volumus in exponendo Diviniſ-
8 ſimo hoc Sacramento publicæ fidelium venerationi, quod abſque
permiſſione noſtra, nec Regularibus quidem licet, & in facultati-
bus per nos circa hoc conceſſis, ſemper intelligi declaramus, dum-
modo ſervetur methodus, quæ in calce præſcribitur in additioni-
bus ſub Num. VII. Demùm omnem reverentiam, & decentiam
9 demandamus, quoties in Eccleſia Divina hæc Myſteria fidelibus
diſpenſantur; quarè mulieres non admittantur, niſi accedentes ami-
ctu debitam modeſtiam præſeferente; Viri quoque detecto capite,
& abſque armis accedere moneantur; & ſub quovis prætextu antè,
vel poſt Cōmunionem Eleemoſynam ab aſſidentibus ſacræ menſæ
flagitari prohibemus ſub pœna noſtri arbitrii; Ab unoquoque ſuper
Altari detineatur vaſculum mundum cum aqua, & operculo deſu-
per ad purificandos digitos Sacerdotum poſt Sacram Cōmunionem
diſtributam. Et hæc quoad exteriorem cultum Sanctiſſimi hujus
Sacramenti.

§. IV.

QUantum verò ſpectat ad ſalutiferam Sacramēti ejuſdem perce-
10 ptionē, & admirabilis virtutis ejus participationem; Parochi de-
clarare non omittant excellentiam præclariſſimi hujus doni, quod
eſt Divini amoris in nos argumentum indeficiens, & Dominicæ Paſ-
ſionis jugis commemoratio, nec non ipſius fructus immenſos, & uti-
litates ampliſſimas; Populo illius frequentiam ſuadeant, ſe quoq; fa-
ciles ſemper exhibeant juxtà præſcriptà à Romano Cathechiſmo,
& ex Decreto S. Congregationis Concilii, quod refertur in addi-
tionibus ſub Num. VIII. Et fuſiùs exponant neceſſarias, magiſque
proficuas animi præparationes, inter quas potiſſimè collocent ani-
mæ munditiam à mortali ſcelere, explicantes quàm indignè ſe
gerant, qui lethali culpa contaminati accedentes ad hunc Fontem
vitæ, indè hauriunt mortem ſempiternam. Quàm ferventiſſimè
11 ſimiliter ſe gerant, ut communicantes aſſueſcant per ſpatium ſaltem
quadrantis unius horæ poſt ſumptionem Cœleſtis Eſcæ in Eccle-
ſia commorari, pro immenſi hujus beneficii gratiis Divinæ Clemen-
tiæ rependendis; Ob id, ubi commodè fieri poteſt, Communionem
præbeant ante Miſſæ inchoationem; ubi verò Miſſa finita fieri de-
bere fert caſus, aut opportunitas, ſacra Alimonia refecti admo-
nean-

neantur de Actibus Fidei, Spei, & Charitatis, Petitionis, & Gratiarum actionis eliciendis, vel aliis devotis precibus pro dicto spatio temporis Deo effundendis.

§. V.

12 CUm verò semel saltem in anno, nempe in Paschate Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi omnes fideles teneantur communicare, volumus Parochos de hoc vigilare diligenter; Ideo prima, vel secunda Dominica Quadragesimæ populo annuncient lingua vernacula dispositionem *Cap. utriusque sexus de Pœnitent. & Remiss.* cujus Summarium datur in additionibus sub Num. IX. Doceant eodem tempore quibus pœnis sint obnoxii hoc Ecclesiæ præceptum non adimplentes, quodque illud minimè adimplent communicantes sacrilegè, scilicet cum conscientia peccati mortalis, vel in alia Ecclesia præter propriam Parochiam, licet etiam hæc esset Ecclesia Cathedralis absque proprii Parochi, vel Ordinarii licentia. [d] Quarè confirmantes statuta in Synodo hujus Diœcesis de an-
13 no 1648. vetamus cuilibet Sacerdoti administrare die Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi hoc Sacramentum cuicumq; de sua Parochia non extanti.

§. VI.

14 SI aliqui reperiantur, qui contumaces huic Præcepto non satisfecerint, procedatur contra eos, ut mandatur in Synodo anni 1664. cujus præscripta recensentur in additionibus sub Num. X. Verum ut de non implentibus Parochi valeant facilè certiores fieri, hanc regulam omninò volumus per singulos observari, sub pœna Scutorum quatuor luenda in quemlibet casum inobservantiæ. Supposito libro status Animarum, in quo omnes de Parochia notari debent cum specificatione aptorum, & ineptorum ad Sacram Cõmunionem, tot schedulæ efformentur, quot adsunt in Parochia Animæ ad Cõmunionem idoneæ: In singulis ab una parte scribatur nomen, & cognomen unius ex animabus prædictis, & ab altera parte *Communicatus in Paschate anno...* Unicuique schedula sic pro-

[d] *Synod.* 1690. *tit.* 10. *cap.* 3.

prio nomine inscripta, tradatur in actu, quo domus Parochianorum aqua benedicta lustrari solent, & à quolibet Paschali tempore ad sacram mensam accedente recipiatur immediatè ante Cibi Eucharistici dispensationem: His namque schedulis sic receptis, & nominibus in ipsis descriptis collatis cum descriptis in libro status Animarum, quorum schedulæ non reperientur, illicò deprehendetur præcepto Paschali nullatenùs satisfecisse.

Si qui verò forent, qui Paschali tempore absfuerint à Parochia,
15 volumus, ut vel redeuntes intrà octo dies communicent in Ecclesia suæ Parochiæ, vel attestationem exhibeant authenticâ Ordinarii legalitate munitam de alibi Sacra Cõmunione recepta, aliàs contrà eos procedi valeat, ac si non adimpleverint, & Parochi teneantur de hoc requirere redeuntes, statim ac reditus iisdem innotescat.

16 Ægroti altera ex diebus post Pascha subsequentibus hoc salutari Pabulo reficiantur, etiamsi extrà Paschales dies eodem refecti fuerint.

§. VII.

17 QUo ad pueros demùm ad participationem vivificæ hujus Mensæ admittendos, mandamus in primis, ut per totam Quadragesimam per Parochos ter in qualibet hebdomada instruantur dilucidè pueri, qui sunt in Paschate ad Sacramentum Poenitentiæ, vel SS. Eucharistiæ prima vice admittendi super requisitis ad hujusmodi Sacramenta rectè, & utiliter percipienda, super admirabili virtute, & fructibus immensis eorumdem. Cùm verò ad ipsosmet Parochos spectet explorare, an, qui ex prudenti Confessarii judicio idonei reputantur, verè possint ad S.Eucharistiam admitti, quia sufficientem acceperint Divinorum hujusmodi Mysteriorum cognitionem, & gustum: memoramus quod ut plurimum antè decennium non debent admitti, post quatuordecim autem expletos annos, omninò iisdem differri non debet, excepto tamen mortis articulo, quo non debent denegari, etiam ante decennium, data aliquali capacitate percipiendi, & venerandi eadem Sacrosancta Mysteria.



Di

De Sacrificio Missæ.

TIT. VIII.

SUMMARIUM.

1 *Missæ præstantissimo Sacrificio quam magna debeatur veneratio.*
2 *Maxima decentia, & munditia in his, quæ ad Missam spectant præscribitur, & in Sacristia, quæ haberi debeant ut celebraturi se præparent.*
3 *Inanes colloquutiones vetantur in Sacristia sub gravibus pœnis.*
4 *Ad tremendum Sacrificium peragendum, quomodo Sacerdotes debeant accedere, quomodo in eo se gerere, quantumque temporis impendere statuitur cum pœnarum comminatione.*
5 *Quòad S. Cæremonias ad Romanum Missale fit remissio.*
6 *Memorantur Decreta circa Missam de die S. Romuli ob Octavam Sanctorum Petri, & Pauli, & super unica Missa celebranda Feria v. in Cœna Domini, & Sabbato S.*
7 *In quibus Ecclesiis Missa Conventualis, vel duo Missæ sunt canendæ, nulla omittatur etiam prætextu Anniversarii.*
8 *In Parochialibus, ubi plures sunt Missæ, quomodò sint diebus Festis distribuendæ.*
9 *Diebus Festis sub gravi præcepto, & sub pœnis, Parochi prohibentur Ecclesias sine Missa relinquere.*
10 *Excipitur casus accedendi ad Festum tituli Ecclesiæ Plebanatus sub pluribus tamen conditionibus, quæ recensentur, & subintelligenda declarantur in omnibus licentiis in hac materia obtinendis.*
11 *Ubi Missa unica habetur, quomodò Parochi finitimi debeant per Plebanos concordari super diversa hora celebrationis pro populorum commoditate.*
12 *In publicis Oratoriis Missa non valeat celebrari ante Parochialem, excepto casu quo Parochialis hora nimis tarda haberi debeat cum conditione, de qua ibi.*
13 *Sacerdotes exteri, etiam Regulares, nullibi ad celebrandum admittendi sine Ordinarii licentia, & quid de itinerantibus, aut de iis, qui in finitimis Diœcesibus propè fines nostra commorantur.*
14 *In Ecclesiis Monialium Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares celebrare sunt prohibiti sine licentia, quæ si conceditur, numquam intelligitur de Monialium alloquutione.*

15 *Cir-*

1 VEnerationem, & reverentiam, quam summam statuere curavimus erga Sanctissimam Eucharistiam, dum de ipsa egimus, uti Sacramento in utilitatem fidelium constituto; Omnia exposcunt Religionis jura, ut studio, si fieri possit, etiam majori enitamur stabilire, dum de eadem acturi sumus, tamquam unico, & præstantissimo Sacrificio, quod in summi Dei cultum, & honorem exhibetur, in quo ipsemet Christus Dominus noster semel cruentè immolatus in Cruce, quotidiè immolatur incruentè. Circa Missarum igitur celebrationem, & aliqua, ut infrà sancimus, quæ servari præcipimus, & aliqua ex Conciliis, aut Constitutionibus Pontificiis sancita omninò servanda memoramus.

§. I.

2 PRimùm omnia ad sacram hanc functionem quomodolibèt spectantia, tùm linea Altarium operimenta, tùm Vasa sacra, Vestes Sacerdotales, & Corporalia munda sint, & nitida, & juxtà præscripta in Rubricis Missalis Romani omninò decentia: Decenti pariter in loco asserventur in Sacrario, seu Sacristia, in qua habeatur vasculum cum aqua, & linteo ad manus abstergendas, & insuper scamnum cum tabella continente preces effundendas antè, & post Missam, ubi Sacerdotes celebraturi ad sanctam aliquam imaginem pro animi præparatione se prosternant; sed præ omnibus vetamus, ut ibidem habeantur inanes colloquutiones, strepitus, aut tu-
3 multus; Quod si quis, & præcipuè Sacerdotes sacris Vestibus induti, in hoc defecerint, post admonitionem Parochi, vel Sacristæ non desistentes, vel ubi forent ipsimet Ecclesiarum Præsides, quomodolibèt nobis innotescet, à nobis severè punientur ad nostrum arbitrium.



§. II.

§. II.

4 SAcerdos quilibet sacra facturus memor sit moniti illius D. Laurentii Justiniani de Eucharistia. *Accedat ad Altaris tribunal, ut Christus, assistat ut Angelus, ministret ut Sanctus*, & alterius B. Alberti Magni Compend. Theol. lib. 6. cap. 8. *Missa tàm plena est mysteriis, sicut Mare guttis, Sol atomis, Firmamentum Stellis, Empireum Angelis*. Quarè priùs animum præparet, atque componat, saltem insumendo spatium unius horæ quadrantis, quale temporis spatium etiam Missa peracta tribuere gratiarum actioni exoptamus omninò: Reperiat deinde in Missali currentem Missam, & signacula distribuat, procedatque ad Sacram Aram incessu gravi, demissis oculis, vultuque ad modestiam composito, eademque gravitate, & religiositate tremendum perficiat Sacrificium, æquo spatio temporis adhibito, & sacris cæremoniis non raptim, & confusè, sed seriò, & consideratè absolutis: Si quis verò saltèm tertiam partem, seu trientem unius horæ in Missa celebranda non impenderit, Sacristas, & ubi Sacristæ non adsunt, Ecclesiarum Rectores obstringimus, eorum etiam conscientiam onerantes, ut illum de nimia celeritate, & hac nostra sanctione commoneant; Si monitus non resipiscat, ad celebrandum ampliùs non admittatur, sed nobis denuncietur: Quicumque autem, tàm ex Sacristis, quàm ex Rectoribus Ecclesiarum circa hoc defecerint, sicut & Sacerdotes post monitionem delinquentes, vel qui in hoc deliquerint, & non fuerint moniti, quia ipsimet fuerint Ecclesiæ Rectores, vel Sacristæ, pro singulis omissionibus plectantur pœna Scutorum quinque; Plus tamen metuant iram, quam in se trahunt Summi Dei, qui odio habere testatur facientes rapinam in Holocausto, quod etiam licet de debiti temporis subtractione interpretari.

§. III.

5 QUòad cæremonias, & ritus omnes, observentur exactè Rubricæ Missalis Romani, & quolibet anno perlegantur attentè: Studeant iisdem præsertim recens ad Præsbiteratum evecti, nec audeant primò celebrare sine permissione nostra, vel Vicarii nostri Generalis sub pœna Scutorum quinque: Circa Ritus meminis-

6 minisse juvabit, quod ex rescripto S. Congregationis S. Rituum de anno 1657. inter Addit. Num. XI. in Festo S. Romuli totius Diœcesis Patroni, cum occurrat Octava SS. Petri, & Pauli Apostolorum in Officio, & Missa respectivè, si dies Dominica fuerit, recitanda est Homilia, & legendum Evangelium Dominicæ, si verò dies fuerit ferialis, commemoratio est habenda SS. Apostolorum, nec in fine Missæ legendum est Evangelium Octavæ prædictæ: Feria V. in Cœna Domini, unica tantum Missa est celebranda pro asservando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramentò in Ecclesiis, ubi asservari mos est in sepulcris, vel alias ubicumque continuò permittitur asservari: Unica itidem habeatur Missa Conventualis cum Officio die Sabbati Sancti ex Decreto S. memoriæ Alexandri VIII.

§. IV.

IN Cathedrali, & Ecclesiis Collegiatis Missa Conventualis habea-
7 tur quotidiè, quando etiam habentur Anniversaria, ex quibus illa non suppletur, ut ex Cap. *Cum creatura, de Celebratione Missarum*, & quandò duæ Missæ sunt canendæ juxtà præscripta in Missali Romano, nulla omittatur, non obstante quolibet usu contrario, qui tamquam abusus improbatur ex Decretis S. Congregationis Rituum S. Memoriæ Urbani VIII. confirmatis, & in ipsomet Romano Missali ab initio impressis. Reliquæ verò Missæ, tùm in dictis Eccle-
8 siis, tùm ubicumque plures solent celebrari, ità distribuantur festivis diebus, ut primò, & summò mane, & sub meridie habeantur pro populorum commoditate, & gravamus de his Ecclesiarum Præpositos, vel Rectores quoslibet sub pœna nostri arbitrii. In Eccle-
9 siis Parochialibus omnibus, in virtute S. Obedientiæ, conscientiam singulorum Rectorum onerantes, tamquam de re gravissima, (*a*) ut per Prædecessores quoque nostros semper reputata fuit, qui suis sanctionibus pœnam suspensionis ipso facto contravenientibus inflixerunt. Præcipimus ut diebus festis ex præcepto servandis saltèm una Missa habeatur; Nemo audeat ex earumdem Rectoribus quolibet sub prætextu in hoc deficere sub pœna Scutorum sex pro unaquaque vice, & arbitrii, ad quam pecuniariam pœnam reducimus olim indictam pœnam suspensionis. Solummodò licitum declara-

ra-

[*a*] *Synod.* 1636. 1648. *Decret.* 9. *tit.* 15. 1664. *tit.* 3. *Decret.* 3.

ramus, monito populo inter Missarum solemnia die festivo præce-
denti, accedere ad celebrandum ad aliam Ecclesiam Plebanatus,
ubi festum habeatur Sancti Titularis Ecclesiæ Principalis, non ta-
men annexarum, vel Confraternitatum sub his conditionibus, &
non aliàs: Quod Ecclesia, ubi Festum celebratur, non distet ab Ec-
clesia sine Missa relinquenda ultrà duo milliaria: Quod ad illam ac-
cedere non sit prohibitum, vel valdè sit periculosum, quia viæ sint
glacie, imbribus, nivibusque impeditæ, vel flumen intersecet, dif-
ficilisque sit transitus: Et quod non adsit in Parochia, à qua est di-
scedendum aliquis graviter ægrotans, qui remaneat in periculo de-
cedendi absque aliquo ex Sacramentis, vel Sacerdotis assistentia: [b]
Hæ conditiones omnes intelligantur, licèt non expresæ, semper
adjectæ in rescriptis emanandis pro permissionibus in hac materia
petitis ad preces cujuscumque, quæ tamen perrarò exaudientur.
Si quis Ecclesiam sine Missa reliquerit, aliqua obstante ex conditio-
nibus modo dictis, eadem pœna plectatur supra statuta, ac si Missæ
sine ulla causa relictæ reus foret. Volumus insuper, prospicientes
11 in hoc, quantùm possumus, ne populi ob domesticas curas diebus
festis Missæ præcepto satisfacere præpediantur, ut in Paræciis illis,
ubi unica tantum habetur Missa, Parochus quisque cum sibi vici-
niore conveniat concorditer, ut unus summo mane, alter hora po-
pulis magis commoda Missam celebret. (c) Plebanos oneramus
circà hoc, ut Parochos sibi subjectos adducant in hanc concordem
distributionem, & nos de reluctantibus, vel concordiam non im-
12 plentibus certiores reddant: Omninò verò vetamus cuilibet Sacer-
doti celebrare in Oratoriis publicis, vel Confraternitatibus ante
Missam Parochialem sub pœna suspensionis Celebranti, & Inter-
dicti Oratorii ipsius, in quo celebratur. Quod si juxtà concordiam
stabiliendam Missa sit in aliqua Ecclesia celebranda hora tardiori,
quarè in Oratoriis posteà celebrare in praxi nimiũ foret incommo-
dum, & frequens haberetur controversiarum occasio, permitti-
mus, ut antea quoque valeat celebrari, dummodò Campanula, si
legitimè adsit, non pulsetur, & Parochi consensus interveniat, quem
gravamus de omni possibili cautione, nè populus nimium ab inter-
veniendo ad propriam Paræciam distrahatur. Ubi dissensiones
oriantur, ad nos recursus habeatur, & pro meliori bono providere
curabimus.

---

[b] *Synod. 1664. t. 6. decr. 3.* [c] *Synod. 1690. tit. 10. cap. 10.*

§. V.

IN Eccleſiis quibuslibet nullus admitti valeat exterus Sacerdos,
13 etiam Regularis, ad celebrandum ſine noſtra licentia; Quòad
Oratoria publica, vel Confraternitates, Parochos gravamus, intrà
quorum Parochiam ſita, & ſitæ ſunt, ut litteras teſtimoniales reco-
gnoſcant: Gravibus pœnis ad noſtrum arbitrium ſubiicimus quoſ-
cumque, vel Sæculares, vel Regulares Eccleſiarum Parochos, Re-
ctores, vel quocumque titulo Præſides, ſi in hoc defecerint juxtà
facultates nobis in hoc competentes, etiam contrà Regulares ex
Decretis S. Congregationis Concilii Tridentini videndis apud *Pi-
gnatell. tom.* 8. *conſult.* 42. *n.* 5. Quòad itinerantes ſolummodò id
modificamus, permittendo, ut ter, vel quater poſſint admitti, ſi
recentes litteras teſtimoniales ſui Ordinarii, vel Proximioris, undè
diſceſſerunt, oſtendant, & Miſſæ ſtipendium non efflagitent, &
non aliàs: Sacerdotibus pariter finitimarum Diœceſum, propè fines
Diœceſis noſtræ commorantibus, de quibus plena habeatur cogni-
tio, idem indulgere concedimus Parochis, aut Sacriſtis, quos gra-
vamus, ut verè cognitos habeant. In Eccleſiis verò Monialium,
14 inhærendo Decretis S. Congregationis Concilii, & Prædeceſſorum
noſtrorum, decernimus, ut nullus Sacerdos, etiam Regularis, poſſit
ad celebrandum admitti: Quoties autem hanc celebrandi faculta-
tem elargiemur, numquam, niſi expreſsè legatur, intelligitur con-
ceſſum alloqui Moniales; ſecùs facientes, ſi ſint Regulares, ſciant
non evaſuros pœnas ſtatutas à S. Congregatione Concilii tempore
S. Memoriæ Urbani VIII. Sæculares autem pro ſingulis vicibus in-
currant pœnam Scutorum ſex: Confeſſarii de eorum obſervantia
invigilent accuratè, ipſorum quippè conſcientiã diſtrictè oneramus.

§. VI.

NE piæ teſtantium voluntates per oblivionem depereant, &
15 animæ ad ſatisfactionem adſtrictorum prægraventur, volu-
mus omninò, ut Parochi, & Rectores omnes Eccleſiarum nobis
ſubjectarum, & Confraternitatum moderatores, obſervent cir-
cà piorum legatorum adimplementum Decreta per Sacram
Congregationem Concilii tempore Summorum Pontificum Ale-
xan-

xandri VII. & Innocenti XII. emanata, quæ inter additiones referuntur sub Num. XII. Itidem iisdem memoramus generalia Decreta S. Memoriæ Urbani VIII. de die 21. Junii 1625. per plures Authores relata, & ideò in additionibus prætermissa, in quorum observantia omnes volumus insistere, prout nos instituros declaramus omninò. Notarios quoque omnes juxtà antiquas Prædecessorum nostrorum sanctiones, oneratos volumus de denunciandis Curiæ nostræ Episcopali piis dispositionibus, de quibus receperunt Instrumenta, si causa mortis, intrà decem dies ab obitu testatoris, si inter vivos, a die habitæ stipulationis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & aliis contentis in Synodo Provinciali anni 1518. sub tit. de Testamentis, ubi hæc obligatio primum Notariis injuncta fuit: Insuper quoad dispositiones pias præteritas ad nostram notitiam deducant ea, quæ sciunt, aut probabiliter credunt adhuc impleta non fuisse. Liber, ubi Missæ celebratæ dietim adnotentur in qualibet Sacristia, tàm Ecclesiarum Sæcularium, quàm Monialium, aut Confraternitatum, seu Oratoriorum, ubi sint annuæ obligationes, habeatur; Quicumque Missam celebrans, ibi se proprio charactere describat, & quantùm fieri potest, distinctè exprimat, pro cujus obligationis satisfactione celebraverit; Quolibet anno per quoscumque Rectores Ecclesiarum, vel Confraternitatum, aliorumve piorum locorum Moderatores transmittatur ad nostram Curiam per totum mensem Maii jurata attestatio Missarum eo annò celebratarum in obligationum satisfactionem, cum brevi declaratione, quot pro singula obligatione fuerint celebratæ juxtà normam, quam damus in additionibus sub Num. XIII. Attestationes hujusmodi caveat quisque, ut libris correspondeant; Quicumque in transmissione per dictum tempus defecerit, vel in attestando diversus fuerit à librorum descriptione, plectatur pœnas Scutorum trium, & sciant omnes quolibet anno, nos librorum hujusmodi revisionem, & collationem attestationum modò una, modò altera in Ecclesia, vel pio loco demandaturos, vel Officialibus nostræ Curiæ, vel aliis à nobis deputandis.

§. VII.

16 DEmùm deveniendo ad taxationem congruæ Eleemosynæ, seù stipendii Sacerdoti jure solvendi pro Missa, declaramus, pro una-

unaquaque Missa manuali fore Julii unius ; Quandocumquè verò perpetuæ Missarum obligationes sunt acceptandæ, cum reditus, ut plurimùm, soleant tractu temporis decrescere, statuimus, ut ad rationem unius libræ pro qualibet Missa debeat stipendium compu-
17 tari. Et monemus omnes, ne sibi blandiantur, & ad proprium libitum, reditibus decrescentibus, Missas diminuant, quippè ad S.Congregationem Concilii, pro reductionibus similibus est recurrendum, a qua nulla reductio indulgetur, dum tot reditus supersunt, qui ad satisfactionem onerum injunctorum sufficiant, ad rationem taxæ Missarum manualium. [d]

De Pœnitentia.

TIT. IX.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentum hoc quam sit Adultis necessarium.*

2 *Numquam rationabiliter petentibus denegetur, sed hortando, & benigniter alliciendo, & excipiendo frequentia promoveatur.*

3 *Si ægrotis ministretur ab aliis præter Parochum, sub pœna suspensionis a Confessionibus teneatur Confessarius Parochum reddere certiorem.*

4 *Prima Dominica Quadragesima promulgetur dispositio* Cap. Utriusq; sex. de Pœnit., & Remiss.

5 *Quomodo Sacerdotes insidere debeant sedibus Confessionum: Hæ sedes quas Crates habere debeant, quidve iisdem sit affigendum.*

6 *Quomodo puerorum Confessiones excipiendæ, mulieres quoque quando, & sub quibus pœnis absq; laminis interpositis non valeant ad Confessiones admitti.*

7 *In Domibus Pœnitentium, & Oratoriis privatis hoc Sacramentum non administretur salva exceptione, de qua ibi.*

8 *Statuitur pœna suspensionis contra Confessarios ad turpia sollicitantes.*

9 *Adimitur facultas absolvendi Complicem in re venerea extrà mortis articulum, nec non a Casibus reservatis, & sub qua pœna.*

10 *Licentia absolvendi a Casibus reservatis, de quibus intelligenda.*

11 *Conceditur Parochis facultas absolvendi à Casibus reservatis quibusdam anni temporibus.*

12 *Da-*

(d) *Decl.* 30. *Maii* 1665. *Crisp. Visit. Past. p.* 2. §. 13. *n.* 14.

12 *Datur methodus recurrendi ad Sacram Pœnitentiariam pro dispensationibus, aut absolutionibus ab ea obtinendis.*

13 *Statuitur Feria secunda primò adveniens in quolibet mense pro examine habendo Confessariorum.*

14 *Notula Casuum Reservatorum.*

1 ANima, quæ per Baptiſmum renaſcitur, Confirmatione roboratur, & per Sacram Euchariſtiam ſpiritualiter enutritur, ſi per peccatum in ægritudinem inciderit, Divina Clementia factum eſt, ut per Sacramentum Pœnitentiæ valeat a ſuis languoribus convaleſcere. Cum igitur perpauci ſint ex Adultis, qui ſervantes Baptiſmalem integritatem Cœleſtem Sanctorum requiem ingrediantur, tantùm necesſè eſt Parochos inſiſtere apud animas ſibi commiſſas in hujus remedii, & ſalutaris Lavacri uſu frequenti, perfectoque, quantùm easdem ad portum æternæ felicitatis deducere cordi habent.

§. I.

2 NOn ſolùm rationabilitèr petentibus denegent numquam (*a*) quod ſine peccato non facerent, ſed ad frequentiam adhortentur, ſæpiùs repetendo poſt Baptiſmum lapſis hoc unicum refugium, tamquàm ſecundam poſt naufragium tabulam, ad æterna evitanda ſupplicia ſupereſſe: Benignitèr excipiendo, humanitèr admonendo, & prudentèr interrogando, occurrant debilium verecundiæ, ut medicamentum alioquin ſaluberrimum, apud quos aliquid habere videretur amaritudinis, medentis ſuavitate temperetur. Quoad ſigillum Sacramentale admodum prudentes, cautique ſint, ne quocumque loco, tempore, vel prætextu præbeant occaſionem cuilibet ſuper ejusdem cuſtodia hæſitandi, & propterea legant de hoc Decretum, quod in additionibus eſt ſub Num. XIV. Diebus feſtis ſemper commorentur aliquantùm antè ſedem Confeſſionibus excipiendis deſtinatam, ut in Tit.IV. de *Sacramentis in genere*: Ergà ægrotos, ſicut charitas ferventior, ita ſit major le-
3 nitas, & manſuetudo: Quod ſi contingat alicui ſic ægrotanti Sacramentum iſtud adminiſtrari per Regularem, vel Sacerdotem diver-

[*a*] *Synod.* 1648. *tit.* 7. *decr.* 9.

versum a proprio Parocho, ipse sub pœna suspensionis à Confessio-
nibus audiendis teneatur Parochum facere certiorem, ut valeat ad
cæterorum Sacramentorum administrationem procedere, quatenùs
4 opus sit. (*b*) Prima Dominica Quadragesimæ, quolibet anno po-
pulo annuncient disposita per *Capitulum Utriusque sexus de Pœnit.&
Rem.* super obligatione confitendi in Paschate ut in addit. sub N. IX.

§. II.

SAcerdotes, qui in hoc Sacramento Christi munus exequuntur,
5 Divinàmq; potestatem exercent, maximè decet, ut illud tra-
ctando, & administrando ergà Sacramentum simul, & ipsius mini-
strum attrahant venerationem populorum; Insideant idcircò sedi-
bus Confessionum amicti Cotta, Stola violacea, Biretto: [*c*] Hæ
sedes affixas habeant tabellas cum notula Casuum reservatorum, &
summario Bullæ in Cœna Domini, & aliqua S. Imagine ex parte
Pœnitentis; Ab utroque latere crates habeant stamneas, vel alte-
riùs materiei cum spissis foraminibus, sine quarum interpositione
6 numquàm pueri ad Confessiones admittantur, quippè nimiùm sunt
faciles ad culpas, qualibet nacta occasione, verecundiæ reticendas:
Quoad mulieres verò sic decernimus; Si non ægrotent, earum Con-
fessiones excipi non valeant antè ortum Solis, & post occasum eju-
sdem sub pœna gravi ad nostrum arbitrium; Quod si ob Pœniten-
tium insolitam affluentiam ad id cogat necessitas, non alitèr fieri
possit, quàm si masculi ab una parte, & feminæ ab alia commoren-
tur, & mediante lumine propè sedem Confessionum omnis obscuri-
tas depellatur: (*d*) Insuper in virtute S. Obedientiæ, & sub gravi
pariter culpa præcipimus, ut Confessiones prædictæ mulierum
nullo pacto valeant extrà casum infirmitatis audiri, nisi laminis su-
pradictis interpositis, quod si aliquis hiscè nostris jussibus non pa-
ruerit, pœna suspensionis, aliisque ad nostrum arbitrium plecten-
7 dum declaramus: Vetamus demùm in domibus Pœnitentium, nisi
hi fuerint Sacerdotes ad Munus Clavium exercendum approbati,
nec non in privatis, vel publicis Oratoriis hoc Sacramentum admi-
nistrari, dempto casu infirmitatis, alteriusve similis necessitatis, quo
Pœ-

(*b*) *Synod.* 1648. *tit.* 7. *Decr.* 8. [*c*] *Synod.* 1612. *de Sacr. Pœnit.* 1664. *tit.* 7. *decr. pr.* [*d*] *Syn.* 1585. *vers. Religiosi* 1612. *t. de Sacr. Pœnit.* 1636. *cap.* 5.

Pœnitentes Ecclesiam adire non valeant; *(e)* Si quis contrà fecerit, sciat in re gravi defecturum, & Divinum, humanumque judicium pertimescat. Quoad publica Oratoria excipiuntur quædam insigniora, ubi solitum semper fuit Sacramenta administrari, nec non casus, quo per proprium Parochum ibidem administrentur, & ubi difficultates exoriantur, ad nos recursus habeatur.

§. III.

8 AD compescendos Sacerdotes quoscumque, nè tàm sancto abutentes officio, in propriam ruinam convertant, quod in Animarum salutem est institutum: Decernimus, confirmando statuta in *Synodo anni* 1664. *Decr.* 2. *tit.* 7. ut Confessarii quicumque Pœnitentes ad turpia sollicitantes, ipso facto sint suspensi à Confessionibus audiendis, prætèr pœnas, quibus obnoxii fiunt ex Bulla S. Memoriæ Gregorii XV. cujus Summarium erit in additionibus
9 Num. XV. Eadem ratione adimimus Sacerdoti cuilibet facultatem absolvendi complicem in re venerea extrà mortis articulũ: *[f]* A casibus pariter nobis reservatis hic in calce describendis omnibus est adempta facultas absolvendi, excepto articulo mortis, quod si quis absolvere sine nostra facultate præsumpserit, excommunicationem incurrat latæ sententiæ: *(g)* Quicumque autem obtinuerit facultatem absolvendi a Casibus reservatis, declaratur non intelligi de Casibus reservatis cum Censura, nec de suffocatione infantium, nisi mentio de iisdem habeatur expressa. Ut verò peccantes faciliùs ali-
11 quot solemnioribus diebus alliciantur ad hoc Sacrum Tribunal, Parochis omnibus facultatem concedimus quolibet anno à casibus reservatis absolvendi, à Dominica in Ramis Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè, & à Vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi usque ad Festum Epiphaniæ inclusivè. *(h)* Quo-
12 ad irretitos autem Censuris S. Sedi Apostolicæ reservatis, aut dispensationibus indigentes, Parochi, cæterique Confessarii libenter propriam operam exhibeant, & impendant recurrendo ad S. Pœnitentiariam, litterasque dirigendo juxtà Instructionem super hoc datam, quæ inter additiones est sub Num. XVI. & ad ejusdem expli-

---

[e] *Synod.* 1690. *tit.*6.*cap.* 6. *(f) Synod.* 1636.*cap.*5., 1664.*tit.*7.*decr.*3. *(g)Synod.*1790.*tit.*6.*cap* 3.*(h)Syn.*1664.*tit.*7.*decr.*4., *Syn.*1674.*t.*10.*c.*2

plicationem videri poteſt liberculus quidam Romæ in Thypographia Apoſtolica impreſſus,cui titulus. *Manuductio ad Exequutionem litterarū Sacræ Pœnitentiariæ, in quo datur modus exequendi dictas litteras, & legendi character Gothicum.*

§. IV.

13 QUalibet ſecunda Feria primò adveniēte in ſingulos menſes, vel die feriali, quæ immediatè, ſequetur,quoties uno, aut pluribus feſtis diebus ex præcepto Eccleſiæ ſervandis dicta ſecunda feria foret impedita,examē habebitur pro Sacerdotibus ad Confeſſiones audiēdas admittendis,ſivè admiſſis facultatibus confirmandis,quod omnibus innoteſcat,ne diverſo tempore ad hunc effectum accedentes,expenſis, & incommodo nimiæ moræ prægraventur.

Caſus reſervati.

14 1 Nefaria Conſuetudine Deum, Beatam Virginem, ſeù Sanctos blaſphemantes.

2 Homicidium voluntarium. Mutilatio membrorum. Suffocatio Infantium.

3 Uſurarios contractus celebrantes, & Teſtes, qui in eis adhibentur.

4 Beſtialitas, & Sodomia propriè, & impropriè.

5 Falſa juramenta, vel falſi teſtes, vel inducentes in hujuſmodi ſcelera in judicio, ſi in grave damnum proximi redundent.

Caſus reſervati cum Cenſura.

1 Exercentes, vel aliis committentes, ſeù permittentes artem ſuperſtitionis, & maleficii circa rationabiles creaturas, incurrant ipſo facto pœnam ſuſpenſionis à Divinis, ſi ſint Clerici, excommunicationem verò, ſi ſint Laici.

2 Simulatas donationes, vel ficta Patrimonia Clericis ordinandis conficientes, & teſtes ſuper his ſimulationibus teſtimonium malitiosè perhibentes.

3 Si quis, vel per ſe, vel per alium quamcumque Monialem, ſeù aliam mulierem in Monaſterio degentem inhoneſtè allocu-

cu-

cutus fuerit, aut cum eis actus inhonestos egerit, aut eis amatorias litteras miserit, tàm ipse, quàm omnis alius mediator, sivè masculus, sive femina hujusmodi nuntia, vel amatorias litteras scienter deferens, excommunicationem incurrit.

Inferiùs in Additionibus sub Num. XVII. notula erit reliquarum Censurarum omnium in his Synodalibus Constitutionibus decretarum.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

TIT. X.

SUMMARIUM.

1 *Sacramentū Extremę Unctionis firmissimum in extrema lucta præsidium.*

2 *Ejus vim explicent Parochi, ad quos, & non alios spectat ipsius administrationem, itàut Regulares se ingerentes sine licentia subiiciantur excommunicationi.*

3 *Plura servare jubentur in administratione ejusdem, sed præcipuè attendere, ne nimiùm in extremis conferatur.*

4 *S. Oleum ubi asservandum, quomodo custodiendum, & quid agendum, quoties fuerit adhibitum.*

Clementissimus Redemptor Noster, qui secundum quemlibet
1 statum fidelibus suis voluit salutaribus remediis esse prospectum, exeuntes ex hac vita Extremæ Unctionis Sacramento, tamquam præsidio quodam firmissimo ad victoriam in extrema lucta reportandam, præmunivit: Utilitates & effectus ejusdem juxtà tra-
2 dita per Romanum Catechismum sæpiùs in anno volumus explicari per Parochos, ad quos ægrotantibus in vitæ discrimine constitutis spectat illud administrare; Quilibet alius Sacerdos sine licentia Parochi saltèm tacita, & extra necessitatis casum administrare non audeat; Regulares, si hoc fecerint, sciant obnoxios fieri ipso facto excommunicationi Summo Pontifici reservatæ ex Clementina Prima de Privil.

§. I.

Quòad administrationem autèm, decernimus, Parochos ad
3 domum ægroti accedentes secùm aquam benedictam cum

 Asper-

Aspergillo deferre debere, & non nisi indutos Stola, & superpelliceo Sacramentum, de quo agimus, administrare: Quoties distent aliquantùm ægroti lares ab Ecclesia Parochiali, si dum Sanctissimum affertur Viaticum, etiam Vas Sancti Olei deferatur, consultiùs agetur. In eodem administrando serventur fideliter omnia in Rituali Romano præscripta: Et præ omnibus [non opinatis casibus, subitisque morbis exceptis] cavendum est, nè eò differatur Sacramentum hujusmodi, quod est medicamen Animæ, & Corporis, quando infirmus omni spe vitæ amissa, est prorsùs sensibus destitutus, sed prudentèr anteveniendo sumatur tempus, quando sana mente gaudens, & integris sensibus elicere valeat Actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, ad quos post suscepta Pœnitentiæ, & SS. Eucharistiæ Sacramenta serventèr hortetur, ad ejusdem uberiores fructus ob animi præparationes obtinendos.

§. II.

4 QUòad asservationem S. Olei, & ejusdem venerationem, præcipimus quod nullibì relinquatur privatis in domibus, nisi sub fida custodia alicujus Sacerdotis, & Gossipium, Panisque micæ adhibitæ ad manus ministrantis perfricandas comburantur incontinenti, quodque retineatur in Vasculo argenteo, vel alterius metalli, quod tamen numquam sit ligneum, aut vitreum; Intus sit Gossipium, nè effluere contingat, quod quotannis renovetur veteri combusto: Vasculum istud mandamus recondi in Tabernaculo sito à Cornu Evangelii propè Altare, ubi SS. Eucharistiæ Sacramentum servari solet: Hoc Tabernaculum interiùs, & exteriùs sit decentèr exornatum, obseretur sub clavi detinenda per Parochum, vel sub fida alterius Sacerdotis custodia; Desuper inscriptum sit. *Oleum Infirmorum*.

De Sacramento Ordinis.

TIT. XI.

SUMMARIUM.

1. *Magni momenti res est ad Ordines accedere, & sedulò expendenda.*
2. *Statuitur circa admittendos implementum præscriptum à S.C.T. & Aposto-*

stolicis Constitutionibus, & in Instructione data per speciale Edictum.

3 *Parochi onerantur ne in Attestationibus faciendis parum cauti sint, & faciles nimium.*

4 *Promovendi ad titulum Ecclesiastici Patrimonii experti esse debeant super Ordine, & Rubricis ad recitandum divinum Officium, & in Seminario Fesulano saltem per triennium moram fecisse.*

5 *Quomodo Patrimonium constituendum, qua taxa, & ubi publicatio ad populi concursum fieri debeat,*

6 *Promovendi aliquam peritiam habeant in Cantu Gregoriano.*

CUm Sacramenta usque modò memorata sint per aptos ministros fidelibus dispensanda, ordinatissima Ecclesiæ dispositione, succedit post illa Ordinis Sacramentum, per quod Sacramentorum hujusmodi dispensatores constituuntur: Sicut verò inter tot
1 Ministerii Nostri sollicitudines ad illam expavescimus potissimùm, qua oneramur nemini citò manus imponere, nè videantur gentes ingressæ Sanctuarium, de quibus præceptum est, nè intrarent in Ecclesiam Dei; Ità sedulò monemus quemcumque, ut benè perpendat, dum ad Ecclesiasticam militiam accedit, an vocetur à Deo, tamquam Aaron, vel spe quæstus, aut ambitione adductus temerè tantum sibi honorem assumat, immò, si etiam vocatum se putet, adhuc non nisi cum magna præparatione. & ponderatione deliberet, alterius moniti memor Levit. 21. *Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedet ad Ministerium ejus.*

§. I.

QUantùm ad nos spectat, observaturos in admittendis ad or-
2 dines, declaramus omninò sancita per S. Concilium Tridentinum, & per Apostolicas Constitutiones, præcipuè magis recentes S. Memoriæ Innocentii XI., & regnantis Summi Pontificis Clementis XI. Et ut admittendi facilè de requisitorum qualitate possint certiores fieri, nec in aliquo deficiant, instructionem edidimus per litteras nostras edictales de die 11. Maii 1716. ad quas adjectas in Addit. sub Num. XVIII. nos referimus, In eadem præscripta adamussim adimpleantur; Parochis præcipuè demandamus, nè imme-

3 rentes testimonio suo adjuvent sub benevolentiæ, vel metus, vel quocumque alio colore; [a] Insuper paucas infrascriptas addimus declarationes, quòad promovendos ad Sacros Ordines.

§. II.

QUicumque posthac ad titulum Ecclesiastici Patrimonii erit pro-
4 movendus ad Ordinem Subdiaconatus, probè calleat ordinem Divini Officii, & quomodò juxtà Rubricas Breviarii Romani sit recitandum, super quo, nisi in examine habilis reperietur, procul dubio reiicietur; [b] Itidem debet saltem per triennium in nostro Seminario moram laudabilitèr fecisse, vel in alio de nostra permissione; Nisi ex magna causa adstricti erimus ab hac nostra sanctione recedere, nemo sibi blandiatur gratiam, aut dispensationem
5 consequi posse: Ecclesiastici Patrimonii constitutio fiat juxtà stylum nostræ Curiæ, & juxta Antecessorum nostrorum Decreta, taxa redituum sit Scutorum quadraginta, demptis expensis: Si contingat promovendum in una Paræcia degere, & in alia existere bona in Patrimonium assignata, utrobique fiant denunciationes, tribus diebus festis ex præcepto servandis, in concursu populi, modo statuto in instructione superenunciata. Insuper Clerici hujusmodi ad Subdiaconatum, & magis etiam ad cæteros Sacros Ordines admittendi, debeant aliquam peritiam habere in Cantu Gregoriano, de quo priùs quàm admittantur experimentum haberi volumus. [c]

De Sacramento Matrimonii.

TIT. XII.

SUMMARIUM.

1 *Matrimonium magnum Sacramentum, ejus significationes, & mysteria explicent Parochi.*

2 *Accedentes Matrimonium contracturi, de quibus sint interrogandi, quomodo disponendi, & qui non admittendi.*

3 *Parochi declament contrà immodestè loquentes in nuptiarum conviviis, & con-*

[a] *Synod.* 1612. *tit. de Sacram. Ord.* (b) *Synod.* 1648. *tit.* 9. *decr.* 3. (c) *Synod.* 1636. *cap.* 8.

& contrà sponsalia incautè contrahentes insciis, vel invitis parentibus.

4 *Quæ servare debeant Parochi, ut Matrimonium ritè celebretur, & præsertim per Exteros.*

5 *Denunciationes fiant in populi concursu, & alta voce. Quid agendum in casu dubii super aliquo impedimento?*

6 *Ea die, qua fit ultima denunciatio, non procedatur ad dationem Anuli.*

7 *Dantur impedimenta Matrimonii publicanda annuatim.*

8 *Denunciationes non fiant, nisi Parochi exploratam habeant contrahentium voluntatem.*

9 *Attentantes Matrimonium contrahere sine denunciationibus excõmunicationi subiiciuntur.*

10 *Sponsi ante anuli dationem cohabitare, & Conjuges se propria authoritate disiungere prohibentur.*

1 POstremo loco inter Sacramenta Evangelicæ Legis Matrimonium annumeratur: Hoc quidem magnum Sacramentum appellat Apostolus, sed cum recondita admodùm sit significatio mysteriorum ejus, maxima requiritur Parochorum sollicitudo in explicando dignitatem ejusdem, & præstantiam, finem prolis suscipiendæ præ oculis habendam, obligationes ergà filios indè derivantes, ne Sponsi rem humanam aggredi existimantes. *Conjugium ita suscipiant, ut Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ità vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Tob.6.17.

§. I.

2 PRimùm igitur quicumque accedentes, ut contrahant Matrimonium, interrogentur, an sciant Catholicæ Fidei rudimenta, & si ignorare deprehendantur, quamdiù rectè ediscant, Matrimonium differatur: [a] Quos instructos repererint hortentur efficaciter, ut ad consequendos uberiores fructus hujus Sacramenti, humili peccatorum confessione, & SS. Eucharistiæ acceptione, ante Matrimonii celebrationem, vel saltèm ejusdem consummationem se disponant: Si quis accesserit, qui Paschali Communione eo anno refectus non fuerit, non admittatur, & pro servanda ergà Sacra-

[a] *Synod.* 1612. *de Sacram. Matrim. Synod.* 1664. *tit. x. decr.* 2.

3 cramentum istud debita veneratione, declametur aliquotiès contrà eos, qui immodestè loquendo in nuptiarum conviviis, ejusdem sanctitatem audent maculare. Item ad removenda, quantùm fieri potest, tot scandala, quæ exoriuntur quotidiè ex sponsalibus insciis, vel rationabiliter invitis parentibus per incautos adolescentes, vel puellas contrahi solitis, similiter Parochi increpent vehementèr eadem machinantes, vel promoventes, & ob oculos ponant, quot malis, scandalisque indè aditus aperiatur.

§. II.

QUoad Matrimonii celebrationem, & implementum eorum,
4 quæ præcedentèr, vel aliàs quandocumque sunt adimplenda, exactè præcipimus observari statuta *per S. C. T. sess.* 24. *de reformat. Matrim.* præsertim *cap.* 1. Et circà exteros, seu alterius Diœcesis, ne tantillùm quidem recedi ab Instructione S. Congregationis S. Officii de Urbe *de die* 1. *Febr.* 1703. quæ inter additiones
5 habetur sub Num. XIX. Quoad denunciationes, omnis adhibeatur cautela, ut fiant semper in majori populi concursu, & clara, & intelligibili voce: Si, Matrimonio denunciato, impedimentum aliquod indicetur, sivè certum sit, sivè dubium, sivè dubietas magis habeat, sivè minùs probabilitatis, ulteriùs procedi non valeat, priusquam, ad nos re delata, quid faciendum a nobis decernatur. Verùm factis denunciationibus, si Matrimonium differatur ultrà bimestrè, à die ultimæ denunciationis computandum, omnes pro eodem deindè celebrando reiterari præcipimus. Itidem declaramus
6 ut ea die, qua postrema denunciatio pro aliquo Matrimonio promulgatur, Parochis inconsulto Ordinario anuli dationi assistere sit prohibitum. Demum, ut impedimenta denunciationibus mediantibus faciliùs detegantur, describuntur per extensum in notula
7 adjecta sub Num. XX. Et in concursu populi publicari mandamus bis in anno, ubi ob ampliorem Parochianorum numerum magis frequenter Matrimonia celebrantur, ubi verò sunt minùs frequentia, semel publicare satis sit.



§. III.

§. III.

8 Quoties Matrimonium ſit ineundum, denunciationes per Parochos fieri prohibemus, niſi à contrahentibus, ſi præſentes fuerint, vel ab eorum Parochis, ſi abſentes, liberum utriuſque conſenſum exploratum habuerint. Quicumque auſus
9 fuerit attentare Matrimonii celebrationem non factis denunciationibus, dempto caſu à nobis obtentæ diſpenſationis, ſicut, & Parochus, & teſtes ſcienter hujuſmodi Matrimoniis aſſiſtentes incurrant excommunicationem latæ ſententiæ nobis reſervatam. Denique,
10 ut honorabile in omnibus ſit connubium, & thorus immaculatus, vetamus Sponſis cohabitare ſub eodem tecto antè anuli dationem ſub pœna contrà inobſervantes,& parentes eorumdem, arbitrii noſtri, Conjugibus verò quibuſcumque, quoad habitationem propria authoritate ſe diſiungere: Quos Parochi noverint circà hæc abuſus, quantùm vires patientur, eliminare non omittant, & provideant, ut Sponſi ſeparentur, & reſpectivè Conjuges ad priſtinam vitæ ſocietatem revertantur; Ubi id admonitionibus obtinere non valuerint, nos certiores reddant.

De Celebratione Feſtorum.

TIT. XIII.

SUMMARIUM.

1 *Feſta celebrentur ſine tumultibus, & debita gravitate, & religioſitate sacra functiones expleantur.*
2 *Quomodo plectendi Clerici intervenientes abſque decenti habitu, ſeu incompoſita adſtantes, vel ſerò accedentes, etiam in Funeribus.*
3 *Suadetur ad vitandam intemperantiam a prandiis abſtinere, ubi abſtinentia huic non valet eſſe locus cum laicis non aſſidendum præſcribitur, & inſimul quadam memorantur ad ſervandam moderationem.*
4 *Ubi Feſtum fiat ex pio are collecto, vel a Confraternitatibus, obligatio prædictarum fortiùs adſtringit.*
5 *Statuitur ordo tenendus circà invitandos ad hujuſmodi Feſtivitates.*
6 *Ubi Feſtum ſit celebrandum ex devotione, in diem ferialem transferendū.*

7 De

7 *De observantia Festorum remissivè ad Edictum.*

AD frequenter excitandam reverentiam, & cultum erga Summam Majestatem Dei, sicut speciales Ministros, specialesque ritus, & cæremonias in Ecclesia Dei præfiniri, ita specialia tempora Divinis Beneficiis, Sanctorumque meritis recolendis oportuit con-
1 secrari: Caveant igitur Parochi, ne in Festorum celebratione tàm sancta fraudetur intentio, nevè festivitates eorum apud Deum sint abominatio, & pertrahant in se odium excelsæ Majestatis ejus; Tumultus indecentes, abusus ludorum, vel chorearum penitùs eradicare studeant, sed præ omnibus ipsi, & Sacerdotes omnes interventuri in sacrosancto Missæ Sacrificio celebrando, in divinis Officiis persolvendis, debitum servent ordinem, gravitatem, modestiam, religiositatem; Quicumque ausi fuerint Choro interesse superpelli-
2 ceo, & proprio habitu non amicti, vel adinvicem colloquendo, aut alias irreverenter se gerendo sacris Officiis deservierint, jus amittant ad eleemosynam sibi debitam consequendam, & insupèr post monitionem non resipiscentes ampliùs non invitentur, (*a*) sed nobis defectus hujusmodi per Ecclesiæ Rectorem deferantur, ut majoribus pœnis, quas arbitrio nostro reservamus, valeant coerceri. Qui verò Sacerdotes serò ad divina Officia, vel Confessiones excipiendas accedunt, vel antè eorumdem terminum abscedunt, aliqua eleemosinæ quota ad arbitrium Rectoris Ecclesiæ carere volumus: Omnia hæc in Exequiis defunctorum similiter statuta intelligi declaramus.

§. I.

NE Festorum sanctitas vitiis, & præsertim intemperantia con-
3 taminetur, Parochi verbis hortentur, & exemplo præluceant, & reliqui ab eis juxtà vota S. C. T. (*b*) frugalitatis, modestiæ, continentiæ, & sanctæ humilitatis exempla petere possint: Ubi habita refectiuncula, & competenti mercede recepta, commodè valeant Sacerdotes ad proprios lares dimitti, fieri suademus, & sic facientes magnoperè commendamus: Ubi verò necessitas cogit prandium apparari, districtè jubemus servari frugalitatem, sobrieta-

(*a*) *Synod.* 1648. *tit.* 22. *decr.* 4. (*b*) *Sess.* 25. *de reform. cap. pr.*

tatem, moderationem, luxum, insolitos clamores, & dicacitatem prorsùs arceri: Tres ultra dapes non excedatur; In bibendo ad vinolentiam virtutum omnium pestem evitandam consilium sumatur propositum *in Cap. Quando* 44. *Distinct.* de poculo ultra tertiam vicem non attingendo: Ad piam hilaritatem excitandam deserviant honesta colloquia, & casuum conscientiæ discussio: Præ omnibus ad Sacerdotum mensam Laicos assidere prohibemus omni-
4 nò. Quod si Festum aliquod celebretur ex pio ære collecto, vel eleemosynis cujuscumque generis, sciant frugalitatem non servantes in conviviis, tàm prò Ecclesiasticis, quàm prò Laicis præparandis ad restitutionem, quoad excessum adstringi; Insùper expensas immoderatas per computorum revisores, & præcipuè, quoad Confraternitates, per earumdem Correctores minimè bonificari demandamus, ipsorum conscientiam onerantes.

§. II.

AD evitanda dissidia oriri solita, quoad Sacerdotes ad Festivi-
5 tates hujusmodi, sicut etiam ad Officia, vel Exequias invitandos, legem circà hoc statuere utile admodum arbitramur; Declaramus idcircò, ut quotiescumque ab alicujus Ecclesiæ Rectore, occasionibus præfatis, vel aliqua ex ipsis, alii Presbyteri sint evocandi, vel ad propriam Ecclesiam, vel ad Confraternitates ad Ecclesiam ipsam attinentes, quarumq; Correctores sint ipsimet Parochi, præferri debeat primo loco Plebanus, & deindè ceteri Parochi de Plebanatu quocumque nomine nuncupentur ad liberum invitantium arbitrium. Declarantes tamen, his non obstantibus, servandam legem datam super non relinquenda propria Ecclesia diebus festivis sub Tit. VIII. *de Sacrificio Missa*. Si Festum aliquod ex devotione
6 sit celebrandum, in ferialem diem transferatur, ne Parochi a propriis Ecclesiis distrahantur festivis diebus.

§. III.

SUperesset de observantia Festorum dierum, & Dei cultu pro-
7 movendo, & à servilibus operibus iisdem diebus abstinendo aliqua statuere, sed cum satis de recenti nostrum Edictum fuerit super hoc promulgatum, monitis, & jussibus in eodem datis obtem-

perari solummodò demandamus, & idcircò in calce sub Num.XXI. adiicimus.

De Processionibus.

TIT. XIV.

SUMMARIUM.

1 *Quæ Processiones omitti non valeant, & quomodò, & a quo dirigendæ.*
2 *Presbiteri hortantur intervenire, Clericis etiam in sacris præcipitur, & intervenientes sine proprio decentique habitu, quomodo plectendi.*
3 *Ultrà horam 24. Processiones haberi non valeant, & quale Vexillum sit erigendum.*
4 *Feria quinta in Cœna Domini, & Feria sexta in Parasceve, Processiones Ecclesias non egrediantur.*
5 *In casu controversiarum, etiam per Regulares, est adeundus Episcopus.*

SIcut ob majorem reverentiam, & cultum excelsæ Majestatis Dei, festivæ solemnitates, ità ob divinam ejusdem misericordiam implorandam, ejusdemque largitates, vel impetrandas, vel obtentas grato animo recolendas, Supplicationes, seu Processiones sunt institutæ. Præcipimus igitur omnibus Ecclesiarum Rectoribus, ut à nemine prætermittantur Processiones Litaniarum
1 majorum, & minorum; scilicet D.Marci Evangelistæ, & Rogationum, sub pœna pro qualibet omissione aureorum quinque: (a) Debitus in iisdem servetur ordo, pietas, & honorificentia, & ne diversarum Parochiarum Processiones hujusmodi confundantur, & perturbentur, omnibus propriæ Paræciæ fines egredi prohibemus: Præfatas non solùm, sed quascumque etiam Processiones dirigere intrà Parochiam ad Parochum spectare, neminemque, etiam ex Regularibus, in hoc posse se ingerere, declaramus, juxtà sensum Sacræ Congregationis Rit. in Decretis videndis apud *Barbos. de Off. & Pot. Paroch. p. 1. cap. 22. n. 13.* quorum observantiam jubemus sub pœnis nostro arbitrio reservatis.

*** (†) *** (†) ***

§. I.

[a] *Synod. 1585. vers. in futurum Synod. 1612. vers. Processionis.*

§. I.

2 PResbyteros omnes hortamur Processionibus propriæ Parochiæ intervenire, Clericis autem, etiam in Subdiaconatus, vel Diaconatus ordinibus constitutis expressè præcipimus: Omnes intervenientes cum superpelliceo, proprioque habitu, & birreto Clericali interesse mandamus, aliàs easdem subeant pœnas, ac si Processioni non intersint, & circà hoc in Funeribus deficientes, stipendio pro associatione iisdem debito carere volumus, quod cæteris accrescat. (*b*)

§. II.

3 AD omnem scandalorum occasionem removendam circà Processiones omnes, hæc insuper statuimus. Quod ultrà horam vigesimam quartam diei cujuslibet non protrahantur: Quod ubi Ecclesiæ Plebaniæ Vexillum erigendum erit, cæteri Parochi intervenientes non valeant ullo sub prætextu proprium extollere, nisi speciale privilegium alicui competeret, vel staret ejus favore immemorabilis consuetudo, quibus casibus nullatenùs derogamus: Fe-
4 ria V. in Cœna Domini, & Feria VI. in Parasceve Processiones tàm Sæcularis Clerici, quam, Regularis Ecclesias non egrediantur, juxtà Decreta S. Rit. Congregationis, quibus omnes afficiuntur; Si controversiæ, cujusque generis Processionum hujusmodi occasio-
5 ne exortæ fuerint, ad nos recursus habeatur, ad quos spectat ex S.C.T. præscripto super iisdem decernere, etiam si Regulares sint in Causa.

De Jejunio, & Quadragesima.

TIT. XV.

SUMMARIUM.

1 *Jejunia indicta ex Præcepto Ecclesiæ per Parochos promulgentur præcedenter.*

2 *Hortentur Fideles jejunare in Vigiliis Festorum B. M.V. aperiendo jejunantibus 40. dierum Indulgentiam elargitam.*

 3 *Je-*

(*b*) *Synod.* 1648. *tit.* 22. *decr.* 4.

3 *Jejunio Quadragesimali adveniente, quid per Parochos docendum, & suadendum, & ubi, quandoque signum inchoationis sit dandum.*

4 *Circa Dispensationes a nimia indulgentia caveant tum Medici, tum Parochi rurales, quibus easdem concedere committitur.*

AD Dei misericordiam exorandam, & placandam divinæ ejus justitiæ commotionem, Religiosa quoque jejunia Ecclesiæ authoritate sunt indicta, iis præsertim Anni temporibus, quibus oportet homines a peccatis purgari, vel mentes Fidelium in Deum per Devotionem elevari: Rectores animarum advenientibus quatuor Anni temporibus, vel vigiliis, quibus jejunium ab Ecclesia
1 præcipitur, illud Populis præcedenter volumus promulgare; Et insuper exoptamus, ut ad jejunandum hortentur, iis etiam Vigiliis
2 Festivitatum Beatissimæ Virginis Mariæ, quibus præceptum non adstringit, denunciando, Nos 40. dierum Indulgentiam sic jejunantibus elargiri, sicut elargimur perlibenter in honorem tantæ istius nostræ Provinciæ Patronæ, cujus protectione validissima, tot temporalia dietim obtinentur bona, & æterna sperantur. (*a*)

§. I.

QUoad Quadragesimale jejunium, Parochis demandamus, ut
3 ejusdem obligationem juxtà sanam, tutamque Doctrinam Populis opportuno tempore explicent, & ferventer adhortentur rationabiliter impeditos, ut si a cibis se continere non valent, a vanis saltem illecebris, magisque a vitiis, & culpis jejunare non omittant. In locis insignoribus volumus signum inchoationis Quadragesimæ dari cum Campana feria tertia post Dominicam Quinquagesimæ hora competenti, quo completo, jejunium intelligatur inceptum. Medicos omnes admonemus, ne nimium proni, facilesq;
4 sint in Attestationibus firmandis, quibus solent dispensandos adjuvare, ne, dum aliorum corporibus indulgent, animæ propriæ afferant detrimentum; De eodem cautos fore memoramus rurales Parochos, quibus liberam committimus dispensandi Provinciam, ubi facultas Peritos consulendi non adest sine gravi incommodo: Hoc quadragesimali tempore prohibemus in Cauponis, & Diverso-

[*a*] *Synod.* 1648. *tit.* 13. *decr.* 2.

forìis, hospitibus apponi vetitas epulas dispensatione non exhibita, sub poena arbitrii.

De Funeribus.

TIT. XVI.

SUMMARIUM.

1 *Inducentes ad sepulturæ electionem, quando, & quomodo excommunicationi sint obnoxii.*
2 *Electio sepulturæ, ex quibus comprobanda.*
3 *In obitu cujuscumque, signum cum Campanæ sonitu dari mandatur.*
4 *Quoties Cadaver extrà Parochiam est tumulandum, quæ jura competant Parocho Defuncti.*
5 *Circà Funerum stipendia, quid servandum, & quomodo cum miserabilibus agendum.*
6 *Sepulturas decernitur fieri non posse sine licentia, qua obtenta, quid impleri debeat.*
7 *Alia statuuntur circa sepulturas fabricandas, vel evacuandas.*
8 *Quantum post mortem humatio Cadaverum sit differenda, & qui Ecclesiastica sepultura privandi.*

INter Sacras Ecclesiasticas Functiones pia quoque Defunctorum Funera recensentur; ad id namque tendunt, ut dum Fideles mortuorum cadavera tumulando iis impendunt humanitatis Officia simul erga ipsorum Animas excitentur ad eis parandum æternæ vitæ præsidium: De his ergo Funeribus decernuntur infrascripta: Pri-
1 mùm, sicut electio sepulturæ a libero cujusque pendet arbitrio, ita caveant Clerici omnes, tàm Sæculares, quàm Regulares, ne quem inducant ad sepulturam in eorum Ecclesiis eligendam, vel electam non immutandam voto, juramento, vel pacto; aliàs sciant incurrere ipso facto excommunicationem inflictam per *Clem.cupientes S.sane de Pœnis*, & insuper Ecclesia, in qua hisce casibus Defunctum sic inductum contingeret tumulari ipso facto subiicitur interdicto, nisi intrà decem dies Cadaver petitum ab Ecclesia, ad quam de jure spectat cum omnibus accessionibus occasione Funeris acquisitis, restituatur juxtà dispositionem S.Memoriæ Bonifacii VIII. *cap. primo de sepulturis in 6.* Quoad electionem sepulturæ, ad contro-
2 versias omnes facilè sedandas, declaramus non aliter probatam di-

cen-

cendam fore, quàm si de ea constet ex Testamento, seù Instrumento publico, vel ex depositione duorum Testium, qui sint contestes, qui nullis privatis rationibus moveantur, quorumque assertiones juramento roborentur, & judicialiter recognoscantur. (a)

§. I.

IN obitu cujuscumque, Rector Parochiæ, sub qua ipse obitus ac-
3 cidit, signum præbeat Campanæ sonitu, ut Fideles ad mortis memoriam simul, & ad suffragia pro Defunctis invitentur; [b] Si quolibet casu extrà propriam Parochialem Ecclesiam Cadavera sint
4 humanda, nulli liceat etiam ex Regularibus quibuscumque, quantumvis in eorum Ecclesiis propria extet sepultura Defuncti, non expectato Parocho Defuncti, ad quem spectat declarare, per quam viam sit Defunctus exportandus juxta Decreta S. Congregationis addita Num. XXII. ingredi processionaliter alienam Paræciam, multòque minus Cadavera defunctorum efferre sub gravibus pœnis. [c]

5 Quoad eleemosinas, seu stipendia consueta, tam pro Funeribus, quàm pro Associationibus serventur exactè statuta a Reverendiss. Altovita Prædecessore nostro ex ejus speciali Decreto, quod habetur in fine Num. XXIII. Erga miserabiles gratis non solùm, sed benigniter mandamus hoc exhiberi pietatis Officium, memorantes exemplum Senioris Thobiæ, qui sepeliendo mortuos multùm apud Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Nisi adsint qui ex aliquo Instituto in casibus hujusmodi aliquot luminaria suppeditent, duo saltem per Parochum volumus gratis commodari juxtà sancita per Prædecessores nostros; Item commendamus enixè, ut Funerum occasione omnis arceatur venalitatis, aut Avaritiæ suspicio, sed Parochi paterna exhibentes charitatis viscera, debitas portiones in Ecclesiæ levamen destinatas fore præmoneant, plurimùmque caveant, ne afflictis ob coniunctorum jacturam afflictionem addant, & ærumnam.



§. II.

[a] *Synod.* 1648. *tit.* 10. *decr.* 3. (b) *Synod.* 1690. *tit.* 26. *cap.* 2.
[c] *Synod.* 1648. *tit.* 27. *decr.* 4.

§. II.

DE ſepulturis itidem decernimus, ut ſine noſtra licentia in ſcri-
6 ptis a nemine valeant ædificari, & ubi per nos ædificari per-
mittantur, hæ conditiones ſemper præintelligantur adjectæ; Quod ab Altaribus quatuor ad minùs palmis diſtent, quodq; tegumento lapideo bene clauſæ ſint, & ſolo æquatæ. [*d*] Ubi ſepulturæ non
7 adſunt, Cadavera ſepeliantur in Cemeteriis, quæ præcipimus obſerari, & Crucis ſigno a territorio profano diſtingui: Cadavera ex iisdem quolibet ſub prætextu non valeant exhumari ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ nobis reſervatæ: Eccleſiæ pavimenta numquam valeant ſine noſtra permiſſione diſrumpi pro cujuſcumque Cadavere ſepeliendo; Et demùm, tum pro ſepulturarum conceſſione, tum pro loco ſepulchri, pretium, aut aliquod emolumentum recipi prohibemus omninò, niſi vigeat conſuetudo, & quidquid ex conſuetudine recipitur, ſpontè ſimul fuerit oblatum.

§. III.

VEtamus corpora Defunctorum ſepeliri, niſi poſtquam conſti-
8 terit ſaltem per horas duodecim extitiſſe a ſpiritu ſeparata; Si quempiam mors arripuerit improviſa, ab obitu repentino horas viginti quatuor decurrere debere mandamus. Vetamus inſuper, ut in Eccleſia ſepeliantur, qui ex ſacris Canonibus ſunt Eccleſiaſtica ſepultura interdicti, qui deſcribuntur in notula inter additiones adjuncta ſub Num. XXIV.



LI.

[*d*] *Synod.* 1648. *tit.* 10. *decr. ult.*

LIBER SECUNDUS.

De Vita, & Honestate Clericorum.

TIT. I.

SUMMARIUM.

1 *Clerici cæteris omnibus debent doctrina, & vita sanctitate prælucere.*
2 *Quæ perlegere debeant, ut juxtà proprium statum mores componant.*
3 *Sine veste Clericali non procedant in publico, & qualis vestis hæc esse debeat.*
4 *In Choro decenti habitu, & veste debent interesse.*
5 *Similiter jubentur ad S. Missæ Sacrificium peragendum accedere, & sine ficta cæsarie, & anulo.*
6 *Clerici publicè ludentes suspensioni ipso facto subiiciuntur, & qui publicè lusisse dici debeant, explicatur.*
7 *Sub eadem pœna choreis quoque intervenire, aut personati incedere prohibentur, & quomodo ad spectandum intervenientes coercendi.*
8 *Pro famulabus Clericorum conditiones assignantur.*
9 *Clericis administrationes laicorum, & tutelæ vetantur.*
10 *Item probibentur mulieres edocere cantum, sonitum, aut litteras sine licentia.*
11 *Nec non arma cujusque generis deferre, & sub quibus pœnis.*
12 *Studia, & bona Conversatio, & exemplum ordini Clericali cōmendantur.*

A Sanctitate rerum, de quibus egimus usque modò, transituri ad sanctitatem morum promovendam, a Clericali ordine exordium sumendum est: Cum namque Clerici
1 juxtà varia sacrarum literarum oracula, vel sal terræ, & lux Mundi, vel populi capita, & gregis forma nuncupentur, & ex sensu D. Hieronymi, *Vita eorum quasi in speculo posita sit magistra publicæ disciplinæ, ut quidquid fecerint ipsi, id sibi omnes faciendum putent*, juxtà illud Levitici 43. *Si Sacerdos, qui est unctus peccaverit, faciet delinquere Populum*; Innumera profectò forent, quorum observantiam circa hoc, vel præscribere oporteret, vel commendare; sed cum omnia;

nia, quæ tam copiosè, & salubriter per Sacros Canones, & Sacrosancta Concilia sancita sunt, complecti non valeamus, eadem perlegant omnes in Ecclesiastico ordine constituti, præsertim apud
2 Sac. Concil. Trid. *cap. pr. proem. de Reform. sess.* 14. *sess.* 22. *sess.* 25. *cap. pr.*, *& cap.* 15. *de Reform.*, & sciant ipsis hasce leges fore constitutas, & juxtà earumdem præscripta, teneri vitam, moresque componere: nos verò aliqua magis frequentia perstringemus, & quædam magis Ecclesiastici splendoris lumen offuscantia pœnarum formidine, ut infra coercebimus.

§. I.

Sine veste Clericali nemo audeat in publicum procedere, vel
3 eamdem publicè deponere, alias personali Capturæ sit obnoxius: (*a*) Hæc vestis sit nigri coloris, & saltem genua pertingat. Collariolum pariter non deferentes pœna plectantur ad nostrum arbitrium. Quotiescumque ad Ecclesiastica munera obeunda debeant convenire, vel in Choro adstare, semper cum Superpelliceo, Birrettoque, & Caputio, qui Caputii usum habent, interveniant, pariter sub pœna ad nostrum arbitrium; In Ecclesia Cathedrali, & Collegiatis cum Veste quoque talari; (*b*) Si verò quis ad sacrosanctum peragendum Sacrificium accesserit cum ficta cæsarie,
5 vulgò *Parrucca*, vel sine Corona, aut cum Anulo, luat pœnam Scutorum quinque, quam similiter luat Sacrista, vel Parochus, a quo ad celebrandum fuerit admissus; Illa pœna pro una tertia parte Accusatori, pro duabus cæteris, locis piis applicetur.

§. II.

Quoscumque ex Clericis, quamvis etiam fuerint sola Tonsurà
6 initiati, omninò prohibemus ludere Chartis lusoriis, vel Talis, (*c*) honestiores ludos, vulgò nuncupatos = *Di Scacchi*, *Sbaraglino*, *e delle Minchiate* = & similes non prohibemus, dummodo fiant januis clausis, & ad honestam animi recreationem. Quod si quis publicè Chartis lusoriis, aut Talis ludere ausus fuerit, pœ-

G nam

[*a*] *Synod.* 1622. *de vita*, *& honest. Cler. Synod.* 1664. *tit.* 1. *decr.* 2.
(*b*) *Synod.* 1636. *cap.* 2. [*c*] *Synod.* 1648. *tit.* 2. *decr.* 2.

nam infligimus suspensionis ipso facto incurrendam nobis reservatam: Publicè lusisse declaramus quemcumque ludentem, non solùm in viis, aut plateis, vel aperto Cœlo, sed etiam in privatis domibus, si januis apertis id fiat, vel etiam januis clausis, si illic conventus fuerit occasione aliqua, qua fiat ibidem Populi concursus, velut ob Festa, Exequias, vel Anniversaria celebranda, vel ob similes causas, quibus Populus convocatur.

§. III.

EIdem suspensionis pœnæ ipso facto obnoxios [d] declaramus;
7 Clericos quoslibet, ut supra, qui in cætu virorum, & feminarum choreas duxerint, vel instrumenta pulsaverint, dum alii choreas ducunt, aut cantiunculas amatorias cecinerint, vel personati incesserint; Et insuper pro qualibet vice in his defecerint, plecti volumus pœna Scutorum duorum, quæ extendatur etiam ad illos, qui solummodò fuerint prædictorum spectatores.

Ulteriùs prohibemus, Clericos habere ad sui famulatum mulie-
8 res aspectu, seu ætate suspectas; Mandantes non nisi feminas attingentes annum quadragesimum, bonæ conditionis, & famæ in famulas admitti posse; Hoc Decretum valeat ex nunc, prout ex tunc omni futuro tempore, trinæque monitionis vices suppleat, perinde ac si personaliter fuisset intimatum quibuscumque, quorum interest, vel intererit. (e)

§. IV.

NEmo militans Deo debet se negotiis sæcularibus implicare,
9 quapropter Clericis omnibus interdicimus aliena Laicorum negotia gerere, vel tutelas suscipere, casibus exceptis, quibus pietate, vel necessitate impellantur, obtenta tamen per nos prius debita facultate. [f] Item sine nostra licentia gratis concedenda, non
10 valeant mulieres ullas edocere cantum, vel sonitum, vel scribere, vel legere, nec pariter valeant absque nostra permissione testimo-

---

(d) *Synod.* 1679. *tit.* 9. *cap.* 2. (e) *Synod.* 1648. *tit.* 21. *decr.* 3.
(f) *Synod.* 1612. *de vita, & honest. Cler. Synod.* 1664. *decr.* 7. *tit. pr. Synod.* 1679. *tit.* 9. *cap.* 1.

monium ferre coram Judice laico sub pœna Scutorum quinque, & arbitrii: Prohibemus demùm cuicumque ex Clericis cujuslibet gradus, honoris, dignitatis, & præeminentiæ, arma deferre absque permissione nostra in scriptis sub pœnis infrascriptis videlicet; Qui sclopum longiorem sine permissione hujusmodi deferat, quadraginta; qui breviorem, centum; qui ense armatus incesserit, decem; qui pugione, viginti Scutorum monetæ Florentinæ pœna mulctetur, & arbitrio respectivè secundum qualitatem locorum, & personarum, & delictorum, quæ committi contingeret. (*g*)

11

§. V.

12 DEmùm omnes Clericali charactere insignitos enixè hortamur in Domino, ut si sint in Sacerdotio constituti, studiis vacent, præsertim divinarum rerũ, ut alios valeant in viam Domini dirigere: Summoperè cordi habeant exemplo populo universo prælucere, longum namque iter fore per præcepta, breve, & efficax per exempla ait *Senec. Epist. 6. ad Lucil.* Si Adolescentes cupiant ad Sacerdotium ascendere, vehementiùs studiis incumbant, sed præcipuè a flagitiosorum hominum consuetudine abhorreant, & proborum hominum, quorum possint exemplo instrui, & doctrina, familiaritatem habeant, alias non solum a Sacerdotio repellentur, sed ratio de eorum moribus exigetur, quia boni non præsumuntur, qui cum malis hominibus habent consuetudinem.

De Parochis, & eorum Residentia.

TIT. II.

SUMMARIUM.

1 *Parochi, quomodò aliis Clericis debeant scientia, & pietate præcellere, & proprium gregem pascere.*

2 *Edicti de Residentia ol. emanati observantia confirmatur.*

3 *Præpositi, & Plebani super non residentes jubentur vigilare, & Priores super illis.*

4 *Quibus casibus aliqui, licet præsentes residentiæ deficiant, & quod Cappellani non assumantur sine licentia.* G 2 5 *In*

(*g*) *Synod.* 1690. *tit.* 14. *decr. var.*

1 QUæ de Clericis universis hactenùs sunt constituta, multò accuratiùs decet per Parochos adimpleri, si namque cum Populus visus fuerit indisciplinatus, & irreligiosus, in Sacerdotibus culpam fore ait *D. Cryſoſtomus*; Quoties Animæ Paræciæ cujusquam a norma divinæ legis aberrare conspicientur, cui nisi Parocho culpa erit adscribenda? Sciant igitur, omnes in hoc ministerium assumpti, Christum Dominum ab ipsis repetiturum Animas Sui Sanguinis, ac Passionis immanissimæ pretio comparatas; quare non solum, sicut cæteri de Ecclesiastico corpore tenentur exemplo, integritate,

te, modestia in viam Salutis æternæ præire ovibus sibi commissis, sed studio omni, & assidua sollicitudine, orationibus quotidianis, plurimisque laboribus necesse est, *ut iisdem pascuas salubres tribuant puri fontis undas exhibeant, Lupos exterminent, vulneratos curent, errantes revocent, ignaros instruant, erigant lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceant* S. Crysost. Hom. de eo qui incidit in latrones. Quæ quidem omnia facilè implebunt, si servabunt ipsis demandata per Sacros Canones, & Sac. Con. Trid., nec non, tum per nos præscripta in hisce nostris Synodalibus Constitutionibus, in quibus, ut plurimùm de iis, quæ ad eorum munus pertinent, sermo habetur, tum inferius pro ipsis magis specialiter præscribenda.

§. I.

PRæcipimus primo loco, exactè observari circa Residentiam
2 statuta ex Litteris Edictalibus C. M. Reverendiss. Domini Altovita Prædecessoris nostri, quæ totaliter innovamus, mandantes sæpius in Anno eas fore perlegendas in Conventibus haberi solitis super Casuum Conscientiæ discussione, quas adjungimus idcircò in Calce sub Num. XXV. Præpositis, & Plebanis omnibus injunctum
3 volumus in virtute S. Obedientiæ, ut de Parochis sibi subiectis vigiles existant, curentque, an resideant, & quos in hoc negligentes repererint, statim nobis per Epistolam denuncient, [a] si verò [quod absit] ipsimet Præpositi, aut Plebani, vel defecerint ipsi circà residentiam, vel super cæteris non vigilaverint, Priori Plebanatus hoc onus incumbere decernimus; singulorum Conscientias onerantes. Quantum ad Residentiam spectat, memorare non
4 omittimus ejusdem præcepto divinitùs imposito in commodum Gregis sibi commissi non satisfieri per eum, qui otiosè, & corporaliter tantum, non utiliter, & proficuè apud suam Ecclesiam commoratur, prout nec per eos, qui resident noctu dumtaxat, vel Curam omninò committentes Sacerdoti, sub titulo Cappellani, de Animabus sibi creditis ulteriùs non requirunt; Circà quod vetamus expresse, ut valeat ad Curam exercendam assumi pro Cappellano Sacerdos etiam ad Sacramentales Confessiones a nobis appro-

[a] *Synod. 1636. cap. pr. vers. præcipimus.*

probatus ſine noſtro ſpeciali aſſenſu, ſub pœna arbitrii; Volumus prætereà, ut Parochi ſub eadem pœna domum Parochialem inhabitent, nec excuſentur, ex eo quod apud propriam, vel paternam, aliamve commorentur intrà limites Parochiæ juxta Decretum *f. m. Honorii III.*

§. II.

UTilis Reſidentia in eo præcipuè conſiſtit, ut exerceant proprium munus aſſiduè, & diligenter, *& potentes ſint in Doctrina ſana exhortari, & eos qui contradicunt arguere, non ut Canes muti, non valentes latrare;* juxtà monita S. Paul. ad Tit. 1. 9. Ob id,
5 ut repleantur ſpiritu charitatis, quo alios debent implere, volumus ante Curæ ſuſceptionem per decem dies Exercitiis ſpiritualibus S. Ignatii ſeriò vacare, inſuper probatos libros ſcilicet S. Con-
6 cilium Tridentinum, Cathechiſmum, & Rituale Romanum, Volumen aliquod Meditationum, vel Inſtitutionum ſpiritualium, ſummas aliquas Caſuum Conſcientiæ, Librum inſtructionum ad morituros ſublevandos, Synodales haſce noſtras Conſtitutiones, & Tabulam decurrentis Anni pro Divino Officio apud ſe habere; [*b*] Sciant pariter hoc eodē anno fuiſſe iterum typis editum liberculum quemdam quomdam Romæ impreſſum, Authore Fr. Philippo Angelini Ord. Prædic. cui titulus = *Preparamento facile alla SS. Comunione* = de quo quidem cum aptiſſimus ſit ad devotionem excitandam in ſuſcipientibus SS. Euchariſtiæ Sacramentum, & cum pretio valdè tenui vendatur Florentiæ apud Regiam Thypographiam, hortamur omnes, ut ſe provideant. Nimiam familiaritatem, & inutilem cum Parochianis qualibet occaſione, præcipuè ad eamdem menſam aſſidendo, vel inſimul ſe recreando, omninò effugiant, ut cum authoritate humiles, cum humilitate ſublimes juxta dictum *D. Cryſoſtomi* ſemper emineant: Præ omnibus in auxilium
7 ovium ſuarum, tanquam optimi Paſtores ſemper præſtò ſint, ſed præſertim, quoties ægrotent, & in ultimum vitæ diſcrimen adducantur ob Infernalis Lupi tunc extremos conatus repellendos; Quod ſi poſt omnium adminiſtrationem Sacramentorum ægrotum deſeruerint, eidemque in Agone non adſtiterint, excepto caſu legi-

gi-

[*b*] *Synod. 1636. cap. pr. verſ. Studeant.*

gitimi impedimenti, ſciant gravis culpæ reatum incurrere, pœniſq; ad arbitrium noſtrum, quæ non exiguæ futuræ ſunt, pro rei gravitate, mulctandos fore. De cujuslibet Parochi ſibi ſubjecti moribus, an ſint exemplares, & de vigilantia ad proprii muneris adimplementum, an ſit aſſidua, Præpoſitos, & Plebanos omnes oneramus, ut frequenter inveſtigent, & monitione præmiſſa deficientes nobis per Epiſtolam denuncient: Super Præpoſitis autem, & Plebanis ipſis hoc onus injungimus Priori cujuſcumque Plebanatus, qui ſuccedat in hac obligatione, etiam reſpectu aliorum in caſu, quo per Præpoſitos, vel Plebanos id negligi deprehenderit.

§. III.

AD Populum ad pietatem excitandum, ſacras functiones ab
9 Eccleſia præſtitutas in eorum Eccleſiis debita veneratione,
& gravitate explere non omittant, (*d*) & præcipuè Diſtributionem
Candelarum in die Purificationis B. M. V., Benedictiones Cinerum, & Ramorum Olivarum juxta Eccleſiæ conſuetudinem; nec non Feria V. in Cœna Domini juxtà Sacrum Ritum Eccleſiæ SS. Euchariſtiæ aſſervationem, Sepulcro D. N. J. C. decenter repræſentato, & competenti luminum quantitate ſufficienter exornato, & quicumque defecerit pœna arbitrii mulctetur. Feſtum Ec-
10 cleſiæ tituli celebrent ea ſolemnitate, & sacra pompa, qua poterunt juxta Eccleſiæ vires; hoc ſi quis omiſerit luat pœnam unius Scuti, & ſub eadem pœna ſit prohibitus aliam Feſtivitatem ad libi-
11 tum celebrare. Diebus feſtis, ubi fieri poteſt decantari mandamus Veſperas, Officium, & Litanias Dominæ noſtræ, nec non recitari quinque Decades SS. Roſarii Beatiſs. V. Mariæ, ubi veſperæ decantari non valent, ſicuti etiam in Eccleſiis, ubi decantantur, ſi tempus ſupereſt, & aliæ non adſint Sacræ Functiones, hortamur, ut uſus introducatur legendi per aliquod ſpatium temporis librum documenta ſpiritualia continentem, abſumendo in totum ſpatium unius horæ in ſpiritualibus huiuſmodi Exercitiis, quod intelligatur, ultrà Chriſtianæ Doctrinæ explicationem, & Clerici omnes ad Sacerdotium non promoti degentes in Parochia illùc convenire te-
12 neantur: De Verbo Dei prædicando, & ſacris hortationibus per mo-

[*d*] *Synod.* 1634. *decr.* 3. *tit.* 5.

modum Cathechifmi populo habendis admodum fint folliciti juxta præfcripta fub fpecialibus titulis de his agentibus, quibus addimus, ut frequenter ponant ob oculos parentum obligationes, quibus afficiuntur ergà propriæ prolis educationem, explicentque, quot proveniunt mala, tum particularibus familiis, tum Chriftiano Orbi univerfo, tum fpiritualia, tum temporalia ex parentibus obligationem hujufmodi negligentibus, & quam tremendum eosdem maneat judicium: Nec non, ut potiffimùm occafionem capiant declamandi contra vitia, cum populi prævaricatores temporalibus Flagellis afflicti D. O. M. furorem placare cupientes, faciliùs aures præbent, & ad cor redeunt, & miferiam eorum exagerent, qui poft monita tanti ponderis non refipifcentes, & temporalia diù perferunt, & æterna fupplicia non evitant, utentes Verbis S. Auguftini De Civit. Dei cap. 33. ad Romanos Cives = *O Amentes, Amentes qui*
13 *depravati rebus profperis, nec corrigi potuiftis adverfis; Perdidiftis utilitatem calamitatis, & miferi facti eftis, & peffimi permanfiftis.* Sabbatho Sancto in Civitate non pulfentur Campanæ ante Cathedralem, & in Diœcefi, ante Matricem. Contravenientes fubiicientur pœnis a S. M. Leonis X. inflictis.

§. IV.

INtrà fuæ Parochiæ diftrictum, quifque Paftor teneatur impro-
14 bos homines, feu cæteris perniciofos poft paternas, benignafq; adhibitas monitiones, nifi ad bonam frugem redierint, nobis denunciare, & quotiefcumque novus aliquis acceſſerit incola Parochiæ perquirere ejus ftatum, & mores explorare; De omnibus, & præcipuè de vagis, fi fecum habeant mulieres, inquiratur, an verè illæ fint matrimonii vinculo, vel confanguinitate, ant affinitate conjunctæ; Quod fi de impudicitia fufpectæ forent, vel remedia opportuna adhibeantur ad peccata, & fcandala removenda, vel nobis rei ftatus exponatur.

§. V.

SI quilibet Parochus infirmetur, Parochus vicinior de Plebanatu
15 fecundum commodum iter ejusdem Ecclefiæ, Parochiæ illius curam gerat, eidem ægroto Sacramenta miniftret, omniaque pie-

ta-

catis officia erga illum exhibeat, ac si esset altera ex Ovibus suis; Quicumque in hoc partibus boni Pastoris non satisfecerit, Deo, Nobisque rationem reddet, & severè punietur; Itidem ipsemet Parochus vicinior in casu mortis super Cadaver Parochi Defuncti functiones omnes Parochiales exerceat usque ad tumulationem; & quò usque declaratio nostra non emanaverit, tamquam Æconomus habeatur, & tamquam talem se gerat, ejusque cura sit, ut nemo ex Consanguineis, vel Familiaribus Defuncti audeat, vel ex Ecclesia, vel ex Domo Presbyterali, aut Sacrario, seu etiam ex prædiis Ecclesiæ, rem quamlibet, vel Sacram, vel profanam, vel etiam Bestiamina subtrahere, sed omnia apud se sub fido sequestro ad nostram dispositionem detineat; Summopere commendamus, ut statim ac audierint vicinum Parochum ægrotare, etiam non accersiti ad illum invisendum accurrant, quippè ob avaritiam Conjunctorum sæpius contingit nimium serò morientibus auxilium Sacerdotum, & Sacramentorum implorari.

§. VI.

NOstrorum tandem Prædecessorum Decreta renovantes, man-
16 damus Parochos omnes unoquoque Anno post Pascha infrà Bimestre ad nos àccedere debere, ut de statu eorum Ecclesiæ, & occurrentibus Populorum indigentiis nos valeant proprio ore certiores reddere, sub pœna Scutorum trium; Intrà eiusdem temporis spatium teneantur denunciare nostræ Curiæ suos Parochianos non communicantes in Paschate, sub pœna suspensionis ipso facto nobis
17 reservatæ; Insuper ultrà quæ jam statuimus de libris pro onerum satisfactione in titulo de Celebratione Missarum, quatuor distinctos libros singulos habere præcipimus, nempè unum pro statu Animarum, alterum pro Matrimoniis, tertium pro Mortuis, quartum pro Sacro Crismate confirmatis describendis, ubi fons Baptismalis adsit quinctus adjungatur pro Baptizatis: Hos libros una cum Attestationibus Doctrinæ Christianæ, & satisfactionis onerum, & Transumptis a Parochis subscriptis omnium Partitarum eo Anno descriptarum in Libris Mortuorum, Baptizatorum, & Matrimoniorum, & Status Animarum teneantur transmittere ad nostram Curiam singulis Annis per totum mensem Maii, & qui in aliquo supradictorum defuerit puniatur pœna Scutorum quatuor. Sub

eadem pœna pariter jubemus, ut insimul quolibet Anno deferre
18 debeant Attestationem trino Teste munitam, quorum alter Sacerdos sit, concludentem, Ecclesiam, Domum Presbiteralem, & Prædia ad instar boni, & diligentis Patris familias per Rectorem detineri, atque custodiri juxta Formulam datam sub Num. XXVII.

§. VII.

19 CUm verò plures in Diœcesi reperiantur Parochiales Ecclesiæ, cui aliæ sine Cura adnexæ sunt, & unitæ, districtè præcipimus, ut adnexas istas Ecclesias rectè, diligenterque custodiant, sufficienti decentia ornatas habeant, & ubi sit opus resarcire, & reparare nullatenùs differant: Ubicumque ex qualibet obligatione, aut speciali Ordinatione, vel sacrum celebrari, vel aliæ peragi functiones debeant, sub pœna nostri Arbitrii negligi, seu omitti vetamus, omnes autem Ecclesiarum Pastores hortamur, ut juxtà numerum Animarum circum adnexas Ecclesias degentium, ad easdem Ecclesias accedere, Sacrosanctum Missæ Sacrificium aliquoties celebrare, aliquam habere sacram hortationem, & Doctrinam Christianam explicare summoperè cordi habeant.

De Conventibus Clericorum ad Casuum Conscientiæ Discussionem.

TIT. III.

SUMMARIUM.

1 *Utiles admodum ostenduntur Conventus Sacerdotum ad Casuum Conscientiæ discussionem.*

2 *Confessarii, & Parochi, quandò possint per Episcopos ad examen revocari.*

3 *Parochi jubentur, Sacerdotes cæteri intervenire suadentur, Clerici in Sacris pariter adstringuntur, ut ibi.*

4 *Quoties in Anno haberi debeant hæ Congregationes, & quæ pœnæ statutæ sint contrà Omittentes.*

5 *Academiæ de Moralibus quæstionibus non valeant haberi sine licentia.*

6 *Methodus servanda præscribitur, & quomodo certior sit reddendus Episcopus de excusationes allegantibus.*

1 AD observantiam Divinæ Legis promovendam, nil necessarium magis in Sacerdotibus, ex quorum ore lex requiritur, quam

quam ut labia eorum custodiant scientiam; Ad id verò assequendum nihil utilius fore Ecclesiasticis Conventibus, de quibus hic acturi sumus, ex ipsomet Divini Spiritus edocemur eloquio: Postquam enim *Ecclesiastic. cap. 7.* ad sapientiam comparandam, quæsitamque non diserendam, ejusdem ait investigationem requiri, modum investigationis hujusmodi sic proposuit: *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere*, & ratio subnectitur per Doctissimum Interpretem a Lapide: *A multis n. multa audiuntur, & difficile est multos sapientes simul errare*. Confidimus profectò servaturos omnes ob hujusmodi utilitates, inferiùs
2 per nos præscripta; Verùm quicumque neglexerint, non solùm declarantur per nos obnoxij gravibus pœnis ad nostrum arbitrium infligendis, sed sciant etiam nos eosdem ad examen revocaturos, saltem singulo quoque triennio, Parochis exceptis, quarè perpendant, quantùm subeant discrimen dedecoris, ruborisque, si ob imperitiam a Confessionibus audiendis suspendi contingeret; sed nec Parochi ab hoc se putent exemptos, quippè juxtà Sac. Congregationis Concil. Decreta, possunt denuò subiici experimento eorum scientiæ, tum ab Ordinario, a quo approbati fuerunt ex justa causa, tum ab Ordinario post eorum approbationem superveniente ex sola Conscientiæ securitate, & quatenùs insufficientes ad eorum munus exercendum reperti fuerint, ab Animarum Cura utroque casu suspendi.

§. I.

Volumus igitur, & omninò mandamus Sacerdotum ad Con-
3 fessiones Sacramentales excipiendas admissorum, Parochorumque Congregationes haberi per singulos Plebanatus ad hunc effectum, saltem per duodecim vices quolibet anno; Cæteros omnes hortamur Sacerdotes, ut interveniant, Clericis verò in Sacris omninò præcipimus, mandantes, ut admitti ad ulteriores Ordines postulantes, attestationes de frequentatis hujusmodi Congregationibus debeant exhibere; In Oppidis, aut locis, ubi frequentior est
4 Clerus, bis in mense coadunari præcipimus; Permittimus tamen, ut æstivo, hibernoque tempore valeant anticipatè adimpleri, dummodò numerus non imminuatur: Quicumque per duas vices sine legitima causa non intervenerit, si potestatem habeat ordinariam

exercendi munus Clavium, mulctetur pœna Scutorum quatuor; si verò delegatam, eam amittat ipso facto; [a] Particulares Aca-
5 demias a quolibet haberi super moralibus quæstionibus omninò prohibemus sine speciali permissione nostra.

§. II.

6 Methodus, & norma adamussim servetur, quam lingua vernacula per extensum in Appendice dare duximus opportunum, & existit sub Num. XXVIII. Eidem contravenientes obnoxios declaramus pœnis ad nostrum arbitrium infligendis; Præ omnibus districtè mandamus, ut ad locum præstitutum interventuri omnes accedant statutis diebus, excepto casu legitimi impedimenti quod, an legitimum sit, nec ne, discutere, nobis reservamus; Et ad hunc effectum quolibet Bimestri (b) volumus ad nos transmitti excusationes per Congregationis cujuslibet a secretis. Libri verò ubi responsiones describi solent mittantur ad Curiam nostram quolibet anno per totum mensem Maij, ut per Theologos a nobis deputandos data responsa ad trutinam revocentur.

De Ecclesiis, & earum Immunitate, & Veneratione.

TIT. IV.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesia omni veneratione, & decentia custodienda, & Altaria similiter sint benè provisa, & exornata.*

2 *Si Altaria privatorum negligantur, quomodo Missa ibidem assignata alibi celebrari debeant.*

3 *Nova appositio stemmatum, aut scamnorum in Ecclesiis interdicitur, & quid de scamnis modò extantibus.*

4 *Pœnæ statuuntur contrà ludentes, aut Choreas ducentes circà ambitum Ecclesiæ.*

5 *Zelus ad reverentiam in Ecclesiis debitam servandam summoperè commendatur.*

6 Quo-

---

[a] *Synod. 1679. tit. 11. Synod. 1690. tit. 21. c. ult.* [b] *Synod. 1664. tit. 13. Decret. 3.*

1 Sicut Templum Dei mysticum exemplo, & Doctrinæ, ita materiale vigilantiæ, & custodiæ Parochorum, Sacerdotumque commissum est: Qualis sit Sanctitas, & Dignitas Sacrarum Ædium, quas Fideles viri inhabitant, Sancti Angeli frequentant, sua quoque præsentia Dominus dignatur, ignorat nemo; Quare Parochis, cæterisque omnibus ad eas custodiendas, & administrandas adstrictis, vel quomodolibet deputatis præcipimus, ut summam ostendentes erga illas venerationem, sartas tectas habeant, mundasque, & undequàque perpolitas, Altaria ornamentis provisa, & Sacrarium Sacris Supellectilibus debitam decentiam preseferentibus juxtà
2 præscripta sacrarum Rubricarum. Si quæ Altaria ad Privatos pertinentia ab iis contigerit, ad quos pertinet, negligi, obligationes Missarum, quibus in ipsis deberet satisfieri ad Altare majus devolvantur [a] gravantes tamen Ecclesiarum Rectores, vel Custodes, ut prius negligentes in sua obligatione præmoneant, & nos de defectu hujusmodi certiores reddant; Si autem Ecclesia quælibet, aut Oratorium a sacrosancti Sacrificii celebratione contingeret interdici, vetamus omninò converti posse in Horreum, vel Cellarium, aliamque mansionem ad profanos usus sub pœnis Arbitrii, & amissionis quartæ partis rerum intùs reconditarum.

§. I.

3 Omnes exoptamus amoveri causas, undè Domum Dei, quam decet Sanctitudo, strepitu, vel tumultu controversiarum perturbari sæpius accidit; Quicumque idcircò gradus cujuslibet sit, aut conditionis novas inscriptiones, seu Stemmata ubilibet in Sacris Templis opponere sine Ordinarii permissione sit prohibitus, alias arbitrii pœnis subjaceat, tum apponens, tum Ecclesiæ Præses apponi permittens: Insuper scamna quælibet in futurum adjungi ne-

[a] *Synod.* 1648. *tit.* 23. *Decr.* 4.

nequeant fine permiſſione noſtra. Ea verò, quæ ad præſens extant,
precario in Eccleſiis detineri declaramus, nullumque jus exinde
laicis acquiri, quare occaſione rixarum ad totalem amotionem de-
mandandam devenire poſſe nobis volumus reſervatum: Valdè pari-
ter decet circa Eccleſiæ ambitum venerationem ſervari, quare ſi
4 quis propè Sacra Templa intrà ſpatium centum cubitorum, vel
choreas ducere auſus fuerit, vel ludere, tempore præſertim Divi-
norum officiorum, perſonali capturæ, aliisve pœnis juxtà noſtrum
Arbitrium infligendis ſit obnoxius: Nobis curæ erit, ut in hoc de-
linquentes in facto depræhendantur, & publicè ad Carceres dedu-
cantur ad cæteros, & Adoleſcentes præſertim deterrendos; At ſi
quis non obſtante hac ſanctione noſtra in hoc irrepſerit abuſus, nos
Parochi ſtatim certiores faciant.

§. II.

UT Fideles ad Eccleſiam concurrentes debitam in iisdem ſer-
5 vent gravitatem, modeſtiam, religioſitatem, neve Domum
orationis faciant Domum negotiationis, vel inanis colloquutionis,
quodque horrendum dictu eſt, ſceleris, ſeu abominationis, Paro-
chi quam ferventiſſimè hortationibus, & increpationibus inſtare
non omittant: Quanta ſit indignatio Summi Dei, quotque mala,
& ſupplicia, & in hoc ſeculo, & in futuro contrà in hoc Delin-
quentes Deus ipſe in ſacris litteris minitetur, ſæpius in concurſu Po-
puli exponant. De hoc Confeſſarios admonendo, Concionatores
omni zelo declamando, Ludimagiſtros, & quoſcumque Adole-
ſcentium curam habentes inſtruendo ſollicitos fore, diſtrictè jube-
mus. Fideles verò quoſcumque ferventer hortamur, ut Eccleſiam
adeant, quaſi Cœlum, & in ea nihil loquantur, aut agant, quod
terram ſapiat. Ingrediantur inceſſu, vultu, amictu ad Chriſtia-
nam modeſtiam compoſito; Ingreſſi in loco ſibi deſignato commo-
rentur, nempe ſi viri virorum, ſi mulieres mulierum cætui jun-
6 gantur; Et pro hujuſmodi ſervanda ſeparatione, ſtudeant Parochi,
quantùm poſſunt, præcipua loca deputare; Si quis extrà locum
ſexui proprio convenientem poſt ſemel factam admonitionem au-
dacter perſtiterit, puniri volumus pro qualibet vice pœna Scuto-
rum duorum locis piis applicandorum: (*b*) Mulieres ſi immodeſtæ
aut

[*b*] *Synod. 1612. tit. de Eccleſ. & earum Immun.*

aut incompoſitæ ad Sacramenta percipienda ſe exhibuerint, non
7 admittantur: Demùm, ne Orantes in Sacris Templis diſtrahantur, juxtà ſtatuta in *Conſtitutione Cum primum S. Pii V. Anni* 1566. renovata per litteras Enciclycas Regnantis Summi Pontificis anni 1703. Vetamus in illis per Pauperes emendicari.

§. III.

MAjus, quod accipiant Eccleſiæ, ſeu Beneficia detrimentum
8 eſſe ſolet, quoties diù vacare contingat; quarè ut quantum poſſumus provideamus, ſtatuimus, ut quoties Eccleſiæ cujuſque generis, aut etiam ſimplicia Beneficia ſint de Jurepatronatu, poſt factam a Patronis præſentationem, non valeat differri per præſentatum Inſtitutio ultrà Bimeſtre ſub pœna nullitatis præſentationis, quoad præſentatum Inſtitutionem obtinere non curantem, ſalvo tamen Jure patronorum.

De Præcedentiis.

TIT. V.

SUMMARIUM.

1 *Præcedentiarum controverſia inter Eccleſiaſticos, quam malè ſonent apud Laicos.*

2 *Cui Parocho ſpectet functiones explere pluribus ejuſdem Plebanatus concurrentibus, & qualis gradus cuique competat hiſce caſibus.*

3 *Exteris intervenientibus, quid agendum.*

4 *Quid ſervandum inter Vices gerentes Plebanorum, & Parochorum, & per Plebanos, aut Parochos amovibiles Eccleſiarum piis locis unitarum.*

5 *Conſuetudo contraria prædictis improbatur, ſalva immemorabili probanda, ut ibi.*

6 *In Controverſiis Præcedentiarum per extrajudicialem Proteſtationem jura omninò præſervantur.*

NIl magis in conſpectu Populorum deprimit Eccleſiaſtici Or-
1 dinis authoritatem, & venerationem, quam audiri inter ipſos de Clero ſpiritum humilitatis profitentes Præcedentiarum controverſias; Quippe cum perſæpè in publicis ſacris Functionibus, Po-

Populo concurrente soleant exoriri, scandalum præmaximum apud turbam rudibus, pusillisque permixtam facilè generatur, & per ora omnium resonant querelæ D. Bernardi ad Eugenium Papam. *In Ecclesia zelus omnis fervet pro Dignitate tuenda, Dignitati datur totum, Sanctitati parum, vel nihil.* Ut igitur quantùm possumus, controversiarum hujusmodi semina eradicentur, vestigia sectantes Prædecessorum nostrorum, infrascripta omnia statuimus, quorum observantiam plenissimam demandamus sub pœnis ad nostrum arbitrium contrà inobservantes decernendis.

§. I.

2 IN qualibet ex Sacris Functionibus, tam publicis, quam privatis peragendis occasione Festorum, vel Exequiarum, seu alia qualibet cujusq; generis in propria Ecclesia vel sibi commissa, Domo, vel Cura, aut etiam Oratorio, vel Confraternitate intrà ejus Curæ limites existente, (nisi hæc proprium præcipuum haberet Correctorem, cui hoc casu propria jura præservamus juxtà solitum usquemodò servatum) Parochus unusquisque, sive Plebanus sit, sive Prior, aut Rector, vel quocumque alio nomine nuncupetur, possit ad sui libitum per se ipsum præcipuum munus Functionum hujusmodi adimplere, primumque locum obtinere quocumque ex cæteris Parochis cujuscumque gradus postposito: Quò ad cæteros ad eumdem actum concurrentes, sicut etiam iis casibus, quibus, vel nolit Ecclesiæ Parochus, vel nequeat primum obire munus, fruique præeminentia sibi debita, hunc ordinem præscribimus. Primò Plebanus præferatur Priori, post Plebanum Prior cæteris Rectoribus præcedat, & in concursu plurium, sive Priorum, sive Rectorum antiquiorem in institutione Ecclesiæ posterioribus volumus anteferri. Declarantes, ut Prior in Ecclesiæ institutione ille intelligatur, qui priùs Ecclesiæ possessionem est adeptus, si de hoc constiterit, & si de hoc fortasse non constet, qui anterior fuerit in solitarum Bullarum expeditione. Iste tamen ordo locum habeat inter
3 Parochos ejusdem Plebanatus insimul convenientes ad Ecclesiam sitam intrà limites communis omnium Plebanatus, siquidem exteris, nempe Sacerdotibus, vel Parochis aliorum Plebanatuum, nullum assignamus gradum præeminentiæ, & quidquid honoris iisdem congruum fuerit elargiri, relinquimus arbitrio, & urbani-

tati

tati Parochi Ecclesiæ, dummodò cæteri de Plebanatu non priventur gradibus sibi debitis juxtà modò sancita.

§. II.

4 CUm verò contingat aliquandò in sacris Functionibus prærecensitis, non Parochos ipsos, vel Priores, vel Plebanos, sed eorumdem Vices gerentes, quolibet titulo nuncupatos, intervenire, in quorumlibet Parochorum concursu, istos aliorum nomine intervenientes nullum locum, seu gradum habere posse decernimus; inter ipsos verò Vices gerentes ordo ille servetur, qui inter eos, quorum personam sustinent, si adessent servandus foret; Plebani verò, Priores, vel Rectores Ecclesiarum Hospitalibus, aut Monasteriis, aut Canonicatibus, aliisque piis locis unitarum quocumque titulo nuncupati in districtu Plebanatuum, vel Paræciarum eorumdem manuteneantur in possessione, qua ad præsens reperiuntur.

§. III.

5 HÆc omnia servari præcipimus, non obstante qualibet consuetudine in contrarium, non tamen immemorabili, cui non derogamus: Circa verò hujus immemorabilis consuetudinis probationes, hæ debeant esse claræ, & indubitatæ, resultantes vel ex partis confessione, vel ex publicis Instrumentis, vel ex re judicata, vel ex similibus iisdem de jure æquipollentibus; Quod si su-
6 per quibuscumque præcedentiis dissensiones in publicis actibus emerserint haud opinatò, hortamur omnes enixe, ut potiùs, quam scandala, & tumultus excitentur, cuilibet loco, & gradui se accommodent, facta protestatione coram duobus testibus, de quolibet præjudicio non incurrendo, eorum favore statuentes, ut ex protestatione hujusmodi sic protestantium jura omninò præservata intelligantur etiam in summarissimo possessorio, & illæsa subsistant, perinde ac si solemnis judicialis protestatio præcessisset, & quasi Actus ille numquam fuisset sequutus.



De Rebus Ecclesiæ tuendis, & non alienandis.

TIT. VI.

SUMMARIUM.

1 *Ecclesiarum Bona, & jura tueri maximè interest, & confirmatur Edictum contrà ipsa occupantes promulgandum bis in anno.*

2 *Circa Decimas persolvendas explicentur præscripta a S.C.T. secunda Dominica Julii.*

3 *Bona Ecclesiastica qualibet, licet alienari solita, sine novo assensu alienari prohibentur.*

4 *Inventaria, quomodò per Beneficiatos omnes ad Curiam transmittenda, & de diligentia in iisdem peragendis.*

5 *De Arborum, & Lignaminum incisione prohibita, quo tempore, & sub quibus pœnis.*

6 *Archivium præcipitur fieri juxtà locorum piorum qualitatem per Administratores, & Rectores ad jura, & monimenta servanda.*

7 *In casu mortis Rectoris Ecclesiæ, Parochus assistens de scripturis præsertim custodiendis oneratur.*

8 *Inter Successorem in Parochiali Ecclesia, & Hæredes defuncti, quæ servanda sint circà sacram, & profanam suppellectilem, semina, bestiamina, paleas, & similia, & pro alimentis, aliisque suppeditandis successori clarè decernitur.*

9 *Pecuniarum reinvestimenta fieri prohibentur favore Ecclesiarum, aut Beneficiorum sine facultate Episcopi.*

1 QUanti momenti sit Ecclesiarum Bona, & jura tueri, demonstrant perspicuè districtissimæ prohibitiones super ipsorum alienatione juxtà quorumdam Authorum sensum usque a temporibus Apostolorum æmanatæ, totque deinde editæ Sacrorum Conciliorum, & Summorum Pontificum Constitutiones in earumdem confirmationem, & præsertim Pauli II. in celebri Extravag. *ambitiosæ* ubi gravissimæ quoque pœnæ excommunicationis latæ sententiæ, privationis Beneficiorum, & similium sunt constitutæ: Ut igitur nos quoque, quantùm possumus, in re tam gravi, ministerii nostri partes adimpleamus, Edictum contrà occupantes bona Ecclesiastica à Prædecessore nostro Reverendiss. Altovita emanatum omninò confirmamus,& adjungimus in Append.sub Num.XXVIII. man-

mandantes bis in anno promulgari in Populorum concurſu, ut in ipſo præſcribitur. Itidem volumus explicari Dominica ſecunda
2 Julii cujuslibet anni lingua vernacula diſpoſita per S. C. T. cap. 12. ſeſſ. 25. de Refor. contra detrectantes Decimas Parochiales perſolvere; Et ſanctiones omnes infraſcriptas ſervari præcipimus ſub pœnis infra ſtatutis, vel, ubi non ſtatuuntur, arbitrii noſtri.

§. I.

QUælibet bona, ſeu prædia locorum quorumlibet Eccleſiaſti-
3 corum, ſive Capitula ſint, ſive Monaſteria, ſive Eccleſiæ cum Cura, vel ſine Cura, ſive Beneficia, vel Confraternitates, aut alteriùs cujuſque generis pia loca, etiamſi alienari, ſeu ad longum tempus concedi ſolita fuerint, ſine ſpeciali aſſenſu noſtro alienari quocumque titulo, vel ad longum tempus concedi non valeant, aliàs alienatio, aut conceſſio quælibet nulla ſit, & invalida ipſo facto; Alienantes verò ſeverè puniantur. Ad hoc autem ut conſtare
4 nobis quoque valeat, an quis ex Beneficiatis contrafacere temerè præſumpſerit, volumus, ut ſtatim, ac quilibet Beneficium, vel ſimplex, vel cum Cura, vel cujuſque alterius generis conſequatur, adſtrictus ſit intrà bimeſtre Inventarium bonorum mobilium, & immobilium a ſe ſubſcriptum ad Cancellarium noſtrum tranſmittere, aliàs incidat ipſo facto, poſt dictum elapſum bimeſtre, in pœnam Scutorum quinque, & ſciat ulteriùs perjurium incurrere ob juratam promiſſionem in actu inſtitutionis factam de hoc adimplendo: Inſuper infrà terminum ſex menſium a die publicationis hujus noſtræ Synodi mandamus, ut per Beneficiatos omnes, & Adminiſtratores locorum piorum, & Confraternitatum in temporalibus regimini noſtro ſubiectarum ſimile fiat Inventarium, & ad Curiam noſtram mittatur, eos excipientes, qui in Viſitatione nuper expleta illud tradiderunt; Quò ad Inventaria hujuſmodi volumus, ut fiant accuratè, & diligenter non tranſcribendo, quæ reperiuntur præcedenter exarata, quippe non ideò præcipiuntur, ut exemplaria multiplicentur, & inutilibus Chartis Archivium Epiſcopale repleatur, ſed nova Prædiorum vocabula, & moderna confinia deſcribantur, ſequutæ alienationes, vel permutationes, aliaque memorabilia adnotentur, ut per diligentes Patres familias fieri ſolitum eſt.

§. II.

5 NUllus ex Rectoribus Beneficiorum quorumlibet, & ex Administratoribus piorum locorum, aut Confraternitatum incidere audeat, seu evellere, seu incidi, vel evelli facere Quercus, Ulmos, Castanearum arbores, seu cujusque alterius generis de sui natura non cæduas, vel cæduas, sed incisioni immaturas, quia juxta regionis consuetudinem tempus earum incisionis non advenerit, sine licentia Ordinarij sub pœna contra incidentes, vel evellentes, vel per se, vel per alios, amissionis omnium arborum incisarum, quarum pars quarta Accusatori, altera quarta pars Exequutoribus, reliquum verò piis locis applicetur, & insuper sub pœna Scutorum duorum pro qualibet arbore sine licentia incisa, quod si quis inciderit nemora similiter ad incisionem immatura, pœnam subeat Scutorum decem pro qualibet vice, & trium similium Scutorum, qui sic evulserit, vel inciderit, Scopeta, vulgò = *Boschi di Stipa*. Parochis ægrotantibus, eorumdem vel conjunctos, vel hæredes, vel agentes omninò prohibitos volumus, ut tempore infirmitatis possint nemora, & lignamina quæcumque etiam cædua, & ad incisionem juxtà morem regionis apta, incidere, seu incidi facere, quod si quis per se, vel per alios contrà, id quod præscribimus egerit, addimus contrà eumdem pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam, & arbores, seu lignamina sic incisa, declaramus ab Ecclesiæ dominio non exire, sed ubicumque fuerint a succedente in Ecclesia, vel Beneficio posse vindicari.

§. III.

6 SI quæ diligentia plurimum conferre valeat ad tuitionem Bonorum Ecclesiasticorum, ea profectò est, ut Ecclesiarum, & Beneficiorum jura, & monimenta Bonorum rationem, & numerum continentia rectè custodiantur, & asserventur: Præcipimus igitur Parochis omnibus, & locorum piorum Administratoribus, ut ubicumque non extet, erigatur Archivium, destinando scilicet proportionabiliter juxtà Ecclesiarum, vel piorum locorum qualitatem, sive mansionem aliquam, sive armarium non portatile, sed parieti infixum, quod, vel quæ clavi obseretur, & a quolibet alio usu

sit

ſit liberum, ſeu libera. Ibidem aſſerventur univerſa Inſtrumenta, ſeu eorum exempla; Libri tum Memoriales, tùm Parochiales, Elenchus tam bonorum mobilium, quam immobilium, hæ Conſtitutiones Synodales, aliæque antiquiores, ſi fortè adfuerint, & quidquid Scripturarum extat ſpectans ad Eccleſiam, vel pium locum, eorumque bona, vel jura cujuſcumque generis: Pro Eccle-
7 ſiis Parochialibus ulteriùs decernimus, ut quotieſcumque quilibet earum Rector graviter ægrotet, Parocho viciniori, cui juxtà per nos alibi in hac Synodo ſtatuta incumbit Eccleſiæ, Populique, & Parochi ægrotantis cura, & aſſiſtentia hoc præcipuè curæ ſit, ut libros, ſcripturaſque prærecenſitas, ſi fortè extrà Archivium repererit, intùs recondat, petita ab Infirmo clavi, & eadem apud ſe retenta, donec, vel Æconomo tradat, ſi mors contigerit, vel ipſimet Parocho, quatenùs convaluerit.

§. IV.

AD omnes controverſias reſecandas inter ſucceſſores in Eccle-
8 ſiaſticis Beneficiis, & prædefuncti hæredes, perſtringendo ſtatuta per prædeceſſorem noſtrum Reverendiſs. Robertum Strozza has declarationes ſubnectimus.

Semina cujuſque ſpeciei, ubi juxtà morem regionum Dominus dimidiam eorum partem tenetur conferre, conſerventur ſemper, & per Beneficiatum, vel hæredes illius relinqui debeant in Prædiis; quare ſucceſſorem in Beneficio, qui percipit fructus per Prædeceſſorem ſatos, nullatenùs teneri volumus erga ejus hæredes ad refuſionem, vel ſeminum, vel expenſarum pro ſeminatione, vel ſtercoratione, licet proprio ære confectarum.

Paleæ juxtà regionis conſuetudinem regulam accipiant: Si namque mos eſt, ut in Prædiorum uſum relinquantur, etiam poſt ſegetum ſeparationem a ſolo factam, hæredes defuncti teneantur prædio relinquere gratis, ſi verò ſolitæ ſunt inter cæteros fructus connumerari, & liberè vendi ſpectent ad hæredes, data tamen electione ſucceſſori, abſque eo quod hæredes valeant contradicere, an emere ipſas velit pro pretio per duos Peritos concorditer eligendos æſtimando.

Cæmenta omnia, ut calx, arena, ſaxa, lateruli, tegulæ, trabes, tigilla, tabulæ, ferramenta, & ſimilia reperta in domibus, vel

vel agris ad beneficium spectantibus præsumantur destinata, & nisi probetur expresè in contrarium, tamquam talia Ecclesiæ, & in ea successori omninò acquirantur.

Omne pecus cujuscumque speciei, quod in prædiis Ecclesiarum sit, & ad successorem non devolvatur, non valeat a dd. prædiis removeri, nisi post sex menses a die factę notificationis successori in beneficio, sive illud spectet ad hæredes prædecessoris, sive ad quemlibet alium ex Contractu, qui dicitur Soccidarum: Ad æqualitatem verò servandam etiam successorem volumus, ut quoties spontè restituere velit per sex menses antea debeat Domino notificasse.

Hæres defuncti Rectoris Parochialis Ecclesiæ, qui beneficii fructus percepit, debeat perceptorum fructuum congruam portionem pro successoris alimentis suppeditare, nempè Sextaria duo frumenti pro quolibet mense usque ad novam messem considerandam in initio mensis Augusti, & alterum cadum vini pariter in mense quolibet usque ad novam vindemiam considerandam in initio mensis Novembris. Ultra alimenta teneatur quoque hæres prædictus relinquere oleum pro lampade, quæ ardere debet ante Altare Sanctissimi Euchareftiæ Sacramenti ad rationem cadi unius pro quolibet anno, & hujus recollecta consideretur in initio mensis Januarii, declarantes ad id adstringi, non obstante, quod in prædiis Ecclesiæ Olivæ non adsint, salvo arbitrio de quo infra: Demùm quoad suppellectilem, tum sacram, tum profanam superest decernere: Et de profana declaramus, ut saltem relinqui debeant infrascripta, quæ describimus ad majorem claritatem sic vulgari sermone.

Due Letti con panchette, e tavole di albero, sopra l' uno, e l' altro sieno i sacconi, uno con due materaße, e piumaccio di lana, panno, o coltrone, l' altro con una materassa di lana, e una di capecchio con panno pure, o coperta tutta buona, tutti gl' arnesi d' albero necessarj per una casa, una Secchia di rame da pozzo, la Catena da fuoco, un pajo di Sgabelli, un pajo di Seggiole buone, il Sinodo presente stampato, tutti i vasi da vino, e da olio di qualsivoglia sorte, i quali si trovassero ne i beni della Chiesa, o Benefizio.

Hæc intelligantur ultrà mobilia alterius generis, si reperirentur in præcedenti Inventario, vel si ex eodem de majori quantitate etiam in eodem genere constaret: Circà omnia suprascripta in præsenti §. expressè reservamus facultatem nobis, & Vicario nostro Generali de arbitrando juxtà qualitates Ecclesiarũ, earumque redituum tenuitatem, & casuum variationem. Quoad

Quoad ſacram autem ſuppellectilem, cujuſque generis ſit, ſi in Eccleſia, vel domo Parochiali reperta fuerit, ad Eccleſiam pertinere declaramus; quare nullo pacto per hæredes ab Eccleſia volumus poſſe amoveri, niſi legitimè doctum fuerit in alterius, quam defuncti Parochi dominio fuiſſe.

§. V.

9 NOn minùs, quàm ex bonorum alienatione detrimentum emergit Eccleſiis, lociſque piis, ex parum cautis, tutiſque reinveſtimentis pecuniarum ad Eccleſias, vel loca pia pertinentium, ſeu in pia opera, ſeu in legatorum piorum adimplementum erogandarum: Quare præcipimus quibuſcumque Eccleſiarum, vel Beneficiorum Rectoribus, ſeu locorum piorum Adminiſtratoribus, vel Agentibus Monaſteriorum Monialium nobis ſubiectarum, ut numquam audeant inconſulto Ordinario pretia Cenſuum, vel pecunias ad eorum beneficia quomodocumque ſpectantia, aut in piorum legatorum implementum impendendas exigere, vel ſpontè oblatas recipere, vel ad ſui libitum reinveſtire ſub pœna, tum noſtri arbitrii, tum in quocumque caſu, quo pecuniæ ad eos quomodolibet ſic perventæ perirent, refundendi de proprio eamdem quantitatem amiſſam, ipſiuſque fructus: His ergò caſibus mandamus, vel pecunias deponi apud Epiſcopalem noſtram Curiam, vel reinveſtiri prævia noſtra approbatione.

De Oratoriis.

TIT. VII.

SUMMARIUM.

1 *Oratoria publica in aliquibus fovent deſidiam, ne ad Parochiales Eccleſias accedant.*

2 *Permiſſio de novis ædificandis rarò concedenda, & non niſi dato fundo pro manutentione fabricæ, & ſacrarum ſuppellectilium.*

3 *Plurima prohibitiones de aliquot ſacris functionibus in Oratoriis non faciendis recenſentur.*

4 *In iiſdem non poſſint per Ludimagiſtros pueri de litteris edoceri.*

5 Quo-

5 *Quomodò ad Missam in iisdem celebrandam exteri Sacerdotes non debeant admitti.*

1 PRo Divini Cultus augumento, invaluit in Ecclesia usus de Oratoriis publicis ædificandis, cum tamen exindè ob fervoris remissionem in nonnullis Fidelium, summoperè foveatur quorumdam desidia, qui numquam Ecclesiæ Parochiali ad sacras hortationes, & S. Evangelii, Doctrinæque explicationes interesse curantes, satis ducunt Christiano nomini tribuisse, si in iis Ecclesiastico præcepto sacrum audiendi festivis diebus raptim satisfecerint; Protesta-
2 mur idcircò, non nisi cum maxima ponderatione permissiones de eorum ædificatione elargituros, nec permissuros umquam in iisdem sacrosancti Sacrificii celebrationem, nisi constito de sufficienti fundi assignatione pro fabricæ, & sacræ suppellectilis perpetua conservatione. Ulteriùs declarantes, quæcumque rescripta per nos desuper emananda semper intelligi debere, firmis stantibus modificationibus, & prohibitionibus omnibus in hoc titulo præscriptis.

§. I.

3 IN Oratoriis igitur hujusmodi publicis, aliisque Ecclesiis non Parochialibus, prohibemus administrari Sacramenta, absque permissione Parochi, intrà cujus Paræciæ limites situm est Oratorium; Item fieri quascumque Benedictiones, ut mulierum post partum, Candelarum, Cinerum, Palmarum, seu Olivarum, Ovorum, nec non cujuscumq; rei comestibilis, etsi in pauperum eleemosynas elargiendæ; Jejunia, festaque ex præcepto servanda, nec non matrimonia contrahenda nolumus publicari, quidve aliud peragi Parochialium functionum; Feria quinta, sexta, & Sabbatho majoris hebdomadæ a Missæ celebratione omninò interdicuntur.

Festa in iisdem celebrari non valeant ea die, qua celebrantur in Ecclesia Parochiali. Missa diebus festivis non priùs celebretur, quàm post eâ celebratâ in Parochiali, ut in titulo de celebratione Missarũ. SS. Eucharistiæ Sacramentum non asservetur, Campanarum usus non possit introduci sine expressa facultate nostra in scriptis obtinenda, sed Campanula ad manus dumtaxàt valeat adhiberi.

Funeralia, si quæ fieri debeant, quia Oratorio competat jus sepulturæ, nec non exequiæ, & officia anniversaria, vel quotidiana, & alia

& alia quæcumque ſemper ibidem fieri debeant per Parochum, perindè ac ſi in Parochiali Eccleſia forent peragenda, qui Parochus idcircò duplicata honoretur Eleemoſyna.

Si circa ſupradicta fuerit in aliquo contraventum, procedi volumus ad Oratorii interdictûm, & ad Sacerdotum contravenientium ſuſpenſionem a Divinis per bimeſtre.

§. III.

DEbita decentia ſervetur in Oratoriis cuſtodiendis; quare ab
4 iisdem profanus quilibet uſus arceatur: Ludimagiſtris vetamus expreſsè iisdem uti ad pueros edocendos Gramaticam, ſive literas quomodocumque ſub pœna, tum interdicti ipſius Oratorii, tum contrà Clericos ſuſpenſionis a Divinis, & contrà Laicos Scutorum quatuor locis piis applicandorum; Urgente etiam aliqua neceſſitate, ſine licentia priùs a nobis obtenta minimè fiat. Ad Miſ-
5 ſam celebrandam non admittantur per eos, qui Oratoria ejuſmodi ſub cuſtodia tuentur, vagi Sacerdotes, qui eleemoſynam expoſcunt, licèt teſtimoniales habeant literas Ordinarii, niſi ex per Parochum recognoſcantur, & approbentur, ſub pœna interdicti ejusdem Oratorii ipſo facto incurrendi.

De Confraternitatibus Laicorum.

TIT. VIII.

SUMMARIUM.

1 *Novæ Sodalitates, aut Centuriæ nulliter erigantur ſine licentia.*
2 *Nova Capitula, aut veterum reformatoria nullius ſint roboris ante Ordinarii approbationem.*
3 *Camerariorum officium numquam protrahi valeat abſque licentia Epiſcopi.*
4 *Pro Jentaculis præcipuus Camerarius deputetur.*
5 *Correctlor Parochus eſſe debeat ipſius Eccleſiæ, exceptis caſibus, qui enumerantur.*
6 *Quomodò Confratres habere commeſſationes, in Oratoriis prohibeantur arma deferre, & collectas facere.*
7 *Quæ ſpectent ad Correctoris officium.*

K 8 *Quos*

8 *Quos libros singulæ Confraternitates habere debeant.*

9 *Tres conditiones pro licentiis quæstuandi obtinendis præscribuntur, & recensentur.*

1 LAicorum Confraternitates institutæ ad pietatem fovendam in animis Fidelium per varia Religionis exercitia, cum valdè prosint ad Divini cultus augmentum, si servetur in iisdem fraternæ charitatis amor, a quo denominationem acceperunt; Plurimùm refert ut ab offendiculis vindicentur, unde Confratrum dissensiones oriri, & Regularum observantiam everti solitum est. Primum itaque statuimus, ut novæ Sodalitates, Centuriæ, aut Congregationes Laicorum, seu etiam Ecclesiasticorum erigi non valeant sine expressa approbatione nostra, aliter erectæ interdictæ sint ipso
2 facto: Nova quoque Capitula, seu antiquorum reformationes nullius roboris sint, nisi facta, factæque fuerint prævia generali Confratrum convocatione, & a nobis expressa in scriptis approbatio fuerit obtenta: Quidquid in particularibus Constitutionibus, circà
3 Camerarios præsertim statutum est, servetur exactè, & tempus exercitationi ministerii hujus assignatum non protrahatur sine urgenti necessitate ab Ordinario recognoscenda, & approbanda: Ubi Constitutiones aliquid specialiter non disponant, volumus, ut Ca-
4 merarius præcipuus pro Jentaculis constituatur, qui curam habeat taxas in id impendendas exigendi, cujus curæ sit, ut ex tantùm taxæ absumantur, neutiquam verò alii reditus Societatis sub pœna refundendi de proprio.

§. I.

5 UNaquæque ex Societatibus hujusmodi Correctorem habeat, & exceptis existentibus intrà Castra, seu Terras, & salva immemorabili contraria consuetudine, semper Parochus, intrà cujus Paræciæ limites sita est Confraternitas, eligi debeat; Alius Sacerdos ad id assumi non valeat, nisi expressa accedente facultate Ordinarii: Ad ipsum Correctorem spectet præcipuè super observantia Regularum invigilare, & de sanctionibus hisce nostris Confratres certiores facere, quibus omnia infrascripta prohibemus: Ha-
6 beri commessationes in eo loco, ubi sacrosanctum celebrari solet Missæ Sacrificium, sub pœna interdicti ipsius Oratorii ipso facto; Per

Con-

Confratres ad Congregationes hujusmodi accedentes arma deferri cujuscumque generis, sub pœna abrasionis, & ejectionis ab Albo Confratrum absque ulla spe reversionis: Collectas in ipsis Societatibus fieri sine permissione Ordinarii in scriptis, & si cum licentia, factæ fuerint, sine Parochi approbatione etiam in pios usus erogari; Reservamus tamen solitas collectas inter ipsos Confratres coadunatos fieri consuetas pro Societatis manutentione.

Ad ipsum quoque Correctorem spectet invitare Sacerdotes vo-
7 candos ad sacras in ipsis societatibus peragendas Functiones, nec Confratres, vel quicumque alter se possint ingerere: Perquirere pariter omnes Correctores oneramus aliquando, an satisfiat Missarum oneribus, mandantes idcircò, ut quælibet Societas ultra Codices
8 rationarios librum retineat, in quo conscribi valeant Dispositiones legatorum, quibus de Missis onerantur, nec non Officialium electiones, & resolutiones omnes, quæ missis suffragiis per Confratres coadunatos haberi solent, & similia; Pro quotidiana verò satisfactione Missarum liberculus habeatur vulgò = *Vacchetta* =

§. II.

Hic quoque opportunum videtur occasione, qua de Confratrum quæstuationibus agendum erat, universam legem præscribere Quæstoribus omnibus, tum Sodalitatum, tum Altarium, piorumque locorum omnium ad Festivitates celebrandas, vel Animas Defunctorum sublevandas; quare conditiones omnes infrascriptas quotiescumque licentia quæstuandi sit concedenda decer-
9 nimus observari: Prima, ut in patentibus litteris exprimi debeat nomen quæstoris, nullique præter descripto hæc licentia valeat suffragari, etiamsi tamquam Procurator suffectus fuerit; quarè, quilibet alter, sicut, & sine permissione quæstuantes puniantur ad nostrum arbitrium, & capturæ personali sint obnoxii.

Secunda: Ut Quæstor admittendus habere debeat fidem Parochi asserentis esse hominem bonæ conditionis, & famæ, de quo probabilis sit spes, ut bonam rationem de eleemosynis colligendis sit redditurus, addito in attestatione, an alias ad quæstuandum admissus fuerit, & bonam rationem de quæsitis eleemosynis retroactis annis reddiderit, & formula attestationis datur pro majori facilitate sub Num. XIX.

Tertia: ut non valeant in Monialium alloquutoriis, & Ecclesiis omnibus quæstuare, præterquam occasione Prædicationis post expletam primam Concionis partem, more solito.

Demùm circa hoc adiungimus expressam prohibitionem sub gravibus pœnis arbitrio nostro infligendis, ne in Ecclesiis ubi festum celebratur apponantur in medio Altaria cum Capsulis ad eleemosynas colligendas.

De Æconomis.

TIT. IX.

SUMMARIUM.

1 *Æconomi in Æconomatus assumptione, an scandala reviviscant inquirant*
2 *Pro electione boni Pastoris a Deo obtinenda preces indicant.*
3 *In Ecclesiis de Jurepatronatu Parochianorum dantur admonitiones populo legenda ante electionem faciendam.*
4 *Qui Æconomi non sint deputandi, ut plurimum.*
5 *Æconomi de Inventario faciendo, & aliis diligentiis onerantur.*

ULtra statuta circa Æconomos, ubi de Parochis egimus, eorumque residentia, valdè proficuum aliqua superaddere sumus arbitrati in hoc titulo ad normam præscribendam iisdem, quomodò pro bono vacantis Ecclesiæ regimine, rerum ipsius custodia, & defensione debeant se gerere, quippe tempore vacationis Ecclesiarum maxima solent, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus iis obvenire detrimenta.

§. I.

1 AD salutem animarum primùm intendant, & idcircò perquirant, an scandala, quæ forsan a defuncto Parocho fuerint elisa post mortem reviviscere contingat, cum non rarò id soleat accidere, ut qui pertinaciter peccatis inhærent, occasionem istam capiant ad scandala redeundi, supponentes ob Æconomi ignorantiam impunè ad vitia prolapsuros.

2 Cum verò salus gregis maximè pendeat a Pastoris electione, Æconomo cura sit rei momentum Populo exponere, eumque ferventer excitare ad preces Summo Deo, unde bona cuncta procedunt, jugiter

ter effundendas pro proficua hujusmodi electione obtinenda; Omnibus festivis diebus immediatè ante, vel immediatè post Missæ celebrationem recitentur Litaniæ Beatissimæ Virginis Mariæ pro toto tempore, quo Ecclesia vacaverit; Altero autem die festo per ipsum Æconomum indicendo, hortentur Parochiani omnes ad suscipienda Pœnitentiæ, & SS. Eucharistiæ Sacramenta ad tantum munus implorandum, nosque pro dicta die solitam Indulgentiam omnibus Confessis, & Sacra Communione refectis elargimur;

Quoad Ecclesias autem de Patronatu ipsorum Parochianorum
3 existentes, ut quantum fieri possit eligentes instruantur de obligatione, qua astringuntur in optimo Pastore præeligendo, aliquot admonitiones, quas addimus in Appendice sub Num. XXX. diebus festis in concursu Populorum volumus per duas vices promulgari, quod si Æconomi id prætermiserint, nostro plectantur arbitrio.

§. II.

PRo Æconomis decernendis, declaramus quantùm fieri possit
4 numquam admissuros affines Parochi, vel defuncti, vel Ecclesiam reliquentis, sicut nec aliquem ex optantibus ad Ecclesiam eamdem, quoties ea sit de Jurepatronatu Parochianorum; Et quia summoperè nobis cordi est, ut quicumque Æconomatum assumpserit omni fidelitate ministerium suum impleat, res Ecclesiæ sub fida custodia habeat, redditus ejusdem accuratè administret, Idcircò de Inventario exactè faciendo, deque scripturis, & libris apud se cautè retinendis eosdem Æconomos oneramus, quorum etiam vigilantiæ committimus incumbere, ne possidentes bona finitima prædiis Ecclesiæ fines dilatent, neve Coloni partiarii Arbores, aut nemora quantumvis cædua sine debita permissione incidere attentent, sciantque ab ipsis successori rationem expetendi jus fore.

De Monialibus.

TIT. X.

SUMMARIUM.

1 *Sacræ Virgines juxtà proprias Constitutiones sacris Meditationibus incumbant.*

2 *Pro*

2 *Pro sacris lectionibus habeant libros selectos per Confessarios.*
3 *Constitutiones Monasterii bis in anno legendæ dum mensa accumbitur.*
4 *Moniales hortentur per Confessarios annuatim vacare Exercitiis spiritualibus S. Ignatii.*
5 *Sanctiones istas explicent Confessarii Monialibus unoquoque anno.*
6 *Monasterii Præfecta super omnibus vigilent, & præcipuè super Clausura.*
7 *Contrà effringentes etiã parumper parietes Clausuræ statuitur pœna excommunicationis ipso facto.*
8 *De Consanguineis in hospitio recipiendis aliqua præscribuntur.*
9 *Pueri, & Puellæ non introducantur intra septa Monasterii sub pœnis violantium clausuram.*
10 *Eidem pœnæ sunt subiectæ Moniales Conversæ aliò divertentes, quam ad loca, ad quæ egredi solent ex consuetudine.*
11 *Quò ad munerum elargitiones serventur Constitutiones Urbani VIII. & Clementis VIII.*
12 *Quomodò Colloquutorium aperiendum, aut claudendum, & quandò Moniales prohibitæ sint accedere.*
13 *Extranei ad Alloquutoriũ quomodo sint accedere prohibiti sine licentia.*
14 *Prohibitiones de cantu figurato, de repræsentationibus coram Laicis habendis, de Consanguineis ad discumbendum in conspectu Monialium admittendis, & plures aliæ similes statuuntur.*
15 *Decernuntur nonnulla servanda circà educandas.*
16 *Puellæ acceptandæ quomodò sint, & quæ ante habitus susceptionem implere debeant, & quoties egredi possint medio tempore, nec non quandò ab acceptatione decidisse dicantur.*
17 *Quod abstinere debeant in actu vestitionis a sermontiunculis.*
18 *Confessarii non possint addere, vel immutare aliquid ultrà solita exercitia Monasterii inconsulto Ordinario.*
19 *Adveniente Confessario extraordinario, quomodo se gerere debeat ordinarius, & quæ alterutri incumbant, & permittantur.*
20 *Confessarii onerantur de non admittendis Sacerdotibus ad Sacrum faciendum in Monialium Ecclesiis.*
21 *Ad quem spectet invitare in festis, aut funeribus Sacerdotes ad Monialium Ecclesiam concursuros.*
22 *De nonnullis Confessarii admonentur.*

SAcras Virgines, quæ Cœlesti Sponso sese devoverunt, intra Claustra Monasterii Evangelici more Thesauri recondi-
tas

tas magna fas est sollicitudine custodire, assiduaque vigilantia ab
1 insidiis prædatorum defendi: Ut igitur Deo curis omnibus, & co-
gitationibus consecratis valeant ad colendum, & magnificandum
Deum sedulò intendere, statutis horis præmonemus Meditationi,
& propriæ conscientiæ examini incumbere, nec non lectioni libro-
2 rum spiritualium, quos tamen selectos per Confessarium fore præ-
cipimus, Choro assistere, cæteraque omnia adimplere juxtà leges,
& constitutiones cujusque respectivè Monasterii fideliter observan-
das: Hæ Constitutiones, dum mensæ accumbitur, alta voce toties
3 legantur quoties opus est, ut intrà anni spatium bis saltem perle-
gantur. Quolibet anno hortamur enixè, Jussibus Regnantis Sum-
4 mi Pontificis datis ex ejus litteris de anno 1703. obtemperantes, ut
singulæ vacent per decem dies spiritualibus Exercitiis, quod Sa-
crum Ascæterium Confessarii omni studio, & efficacia suadere non
omittant. Reliqua, quæ ut infrà præcipimus, & respectivè prohi-
bemus omninò volumus observari; idcircò mandantes, ut singuli
Confessarii ordinarii teneantur has sanctiones nostras, earumque
sensum Monialibus explicare, semel in anno, & super earumdem
observantia assiduè invigilare.

§. I.

Monasterii Præfectæ, sive Abbatissæ, sive Priorissæ, sive quo-
cumque alio nomine nuncupentur, sciant totius Regularis
disciplinæ pondus ipsarum inniti zelo, vigilantiæ, & prudentiæ,
5 Clausuræ curam habeant præmaximam, & claves apud se noctu
servent sub fideli, & inviolabili custodia: Benè requirant, an pa-
rietes Clausuræ aliquandò parumper frangerentur, quantùm sa-
tis foret ad chartas, vel res similes extrahendas, & quicumque, vel
6 sic parietes quantumvis leviter effringeret, vel effringi juberet, aut
curaret, sive ex Monialibus, sive ex quibuslibet extraneis, excom-
municationem incurrat ipso facto, quam nobis reservamus. In Mo-
7 nasteriis distantibus a Civitate, ultrà decem milliaria, non permit-
tant in hospitio commorari Monialium Consanguineos, ultrà duos
dies, semper tamen absque dispendio Monasterii; Pueros, seu
Puellas, licèt infantes, cujuscumque ætatis sint, non valeant admit-
8 tere intrà septa sub pœnis statutis contrà violantes Clausuram, nem-
pè excommunicationis, quas incurrunt ipso facto, tam Præfecta
per-

permittens, quam quæcumque Moniales recipientes, & quilibet alii introducentes; Pœnis iisdem statutis contrà Clausuram violantes subiectæ sint Moniales Conversæ aliò divertentes, quam ad Ecclesiam, & Sacristiam, ubi consuetudo est per illas adaptari dicta
10 loca. Temporalis Gubernii valdè sint sollicitæ, ipsarumque Regimini committimus, ut quolibet anno ad Curiam nostram transmit-
11 tantur computa, & rationes Monasterii juxtà normam consuetam; Quò ad munerum elargitionem advertant observari mandata per Pontificias Constitutiones Clementis VIII., & Urbani VIII.

§. II.

Quoad Colloquutorium, undè, ut plurimum, spiritum Mona-
12 sticæ perfectionis facilè est evanescere, hæc præcipimus; Janua ejusdem, nec ante claram diem, nec post horam vigesimamquartam noctis aperta haberi valeat, diebus festis iisque, quibus Moniales Sacra Communione refectæ fuerint usque ad meridiem aperiri non valeat, salva semper necessitate, qua stante ad aperitionem procedatur cum permissione tamen Superiorissæ, & post necessitatem iterùm occludatur. Moniales horis ad psallendum, & mensam præscriptis, ad Crates non possint accedere sub pœna, quòad Janitricem privationis officii, & quoad contrafacientes, vocis activæ, & passivæ ad annum duraturæ. Præfecta, cujus conscientiæ reservamus ex justa causa dispensare, caveat, ne nimiùm sit facilis, nostrumque, sed magis supremi omnium Judicis reformidet judicium; Si quælibet alloquuta fuerit Regulares debita permissione carentes, pœna mulctetur privationis vocis activæ, & passivæ;
13 Nullus autem accedere valeat ad Monialium Colloquutoria, etiási Consanguineus sit, aut affinis Monialium sine licentia nostra, vel Vicarii nostri Generalis, quod si hujusmodi licentiam habuerit, numquam eadem intelligatur de accessu ad januas. Quòad permissiones autem generales, aut speciales ingrediendi septa Monasterii declaramus nullatenùs vigere, nisi vigente necessitate exposita ad licentiam obtinendam, qua cessante, statim expirare declaramus.



§. III.

§. III.

14 OMninò prohibitum volumus Monialibus omnibus, ut cantum figuratum, seu musicam ita habeant, ut ab exteris audiantur, & hoc juxtà Decreta S. Congregationis; Ut coram Laicis, aut exteris quibuslibet habere possint repræhesentationes cujusque generis, sive comparere coram ipsis, sæcularibus vestibus indutæ. Nullus etiamsi fuerit Consanguineus quolibet gradu conjunctus admitti valeat ad prandendum, seu cœnandum, aut aliàs discumbendum in loco, unde a Monialibus conspici possit, & contravenientes excommunicatione feriantur. Famulis jentaculum intra septa suppeditare, & sacras suppellectiles, vel paramenta, aut tabulas pictas ad exornandas cæteras Ecclesias commodare non valeant: In officiis implendis expensas facere, epistolas sine expresso Præfectæ consensu scribere, aut iisdem transmissas perlegere, exceptis illis, quæ vel Consanguineis, usque ad quartum gradum, vel Antistiti, vel Confessario scriberentur, & ab iisdem respectivè transmitterentur; Canes, sive alia cujuscumque generis jumenta intra septa Monasterii habere, & bona mobilia, vel immobilia quolibet pretextu tamquam propria retinere vetamus districtè sub pœnis gravibus ad nostrum arbitrium infligendis, & quantum spectat ad bonorum mobilium, vel immobilium retentionem pœnas hasce statuimus ad magis delinquentes coercendas, sciant tamen voti violationem validiorem ab astinendum rationem fore; Quoad pecunias pro parvis indigentiis, ubi vita communis non habetur, mandamus deposita fieri particularia singularum Monialium apud Depositariam specialiter eligendam, & subindè regulas servari quoad modum expendendi cuilibet Monasterio præscriptas.

§. IV.

E ad effetto, che di queste Nostre Ordinazioni se ne conservi la memoria, nè poss' alcuno scusarsene coll' ignoranza, vogliamo, che questo Nostro Editto, che si trasmetterà ad ogni Paroco, sia affisso sopra una tavoletta in Sagrestia esposto alla vista d' ogn' uno, e nella Visita, che faremo per fare a Dio piacendo, della Diocesi, saremo spettatori oculari di tal osservanza per punir quelli, che ne averanno trascurata l' esecuzione.

Dat. dal Nostro Palazzo Episcopale presso S. Maria in Campo questo dì 11. Gennajo 1716. ab Incar.

LUIGI MARIA VESCOVO DI FIESOLE.

Michel' Angiolo Pagani Cancell.

NUM.

NUM. XIX.

Instructio S. Congregationis S. Officii circà Exteros ad Matrimonium admittendos, de qua tit. 12. §. 2.

CUm aliàs per Sacram Congregationem S. Officii iteratis Instructionibus ab eadem emanatis de anno 1665., Locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut præscriptis Interrogatoriis faciendis Testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium Matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero conjuge, aut aliàs impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant. Videns nihilominus SS. D. N. quamplures Locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios, & Deputatos ad excipiendas Testium Depositiones, necnon Parochos, & Notarios in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earumdem instructionum tenorem, & licèt aliquando plenè observent, non tamen interrogare Testes super aliis impedimentis dirimentibus.

Ideo volens Sanctitas Sua prædictis malis occurrere, re maturè considerata cum Eminentss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, præsenti Decreto perpetuis futuris temporibus duraturo; iterum injungit omnibus Vicariis, seu Deputatis pro examinandis Testibus ad probandum statum liberum contrahentium Matrimonium, necnon Parochis, Notariis, & quibuscumque aliis respectivè, sub pœnis etiam gravibus corporalibus, arbitrio Sacræ Congregationis, ut Instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem presens Decretum, & Instructio ad omnium notitiam faciliùs deveniant, decrevit illa ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ac Palatio S. Officii ejusdem Urbis, per aliquem ex Cursoribus Sanctitatis Suæ publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes, & singulos, quos concernunt, post duos Menses, à die publicationis in Urbe faciendæ numerandos, perinde afficere, & arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificata, & intimata fuissent.



NUM.

Instructio, pro examine illorum Testium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis, tam in Curia Eminentiss. & Reverendiss. D. Card. Urbis Vicarii, quàm in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

IN primis Testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Divina simul, & humana majestas læditur ob rei, de qua tractatur importantiam, & gravitatem, & quòd imminet pœna triremium, & fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An sit civis, vel exterus; & quatenus sit exterus, quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus; si dixerit accessisse sponte à nemine requisitum, dimittatur, quia præsumitur mendax; si verò dixerit accessisse requisitum, interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requisitus, & an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogentur, an sibi, pro hoc testimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occasione, & cujus qualitatis, vel conditionis existant.

Si responderit negativè, testis dimittatur; si verò affirmativè.

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri; si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium, doceatur de eorum libero statu, de eo tempore, quo permanserunt in sua Civitate, vel Diœcesi. Ad probandum verò eorundem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet, usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem causæ eorum scientiæ, absque eo, quòd teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò responderit, contrahere volentes esse cives.

8. Interrogetur, ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

9. Item, an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe uxorem, vel maritum, aut profeſſum fuiſſe in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſſe aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahi Matrimonium.

Si Teſtis reſponderit, non habuiſſe uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut ſupra.

10. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quòd aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, &c. & quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur, niſi ex aliis Teſtibus probetur concludenter non habuiſſe uxorem, vel maritum; neque ullum aliud impedimentum, &c.

Si verò reſponderit negativè.

11. Interrogetur de cauſa ſcientiæ; ex qua deinde Judex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides.

Si reſponderit, contrahere volentes habuiſſe uxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos.

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat, fuiſſe conjuges, & nunc eſſe mortuos. Et, ſi reſpondeat, mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſse à militibus, non detur licentia contrahendi, niſi priùs recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſserunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel ſi fieri poteſt, à Duce illius Cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen hujuſmodi teſtimonia haberi non poſsunt, Sacra Cungregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi poſsunt admitti, dummodo ſint legitimæ, & ſufficientes.

13. Interrogetur, an, poſt mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negativè.

14. Interrogetur, an eſse poſſit, quòd aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo, quòd ipſe teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si

Si verò negativè.

15. Interrogetur de causa scientiæ; qua perpensa, Judex poterit judicare, an sit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi nisi doceant per fides Ordinariorum suorum, esse liberos; & in aliis, servata forma Concilii Tridentini in cap. Multi sess. 24.

Fides aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per Testes, qui habeant notam manum, & sigillum; & attentè consideretur, quòd fides, seu testimonia benè, & concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro Testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia præsumuntur meliùs informati, & cives magis, quàm exteri, nec admittantur homines vagi, & milites, nisi datà caussà, & maturo consilio; & Notarius exactè describat personam Testis, quem si cognoscit, utatur clausula: MIHI BENE COGNITUS; sin minus, Examen non recipiat, nisi unà cum persona Testis, aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ attestetur de nomine, & cognomine ipsius Testis, necnon de idoneitate ejusdem ad Testimonium ferendum. Et hujusmodi Examinibus debet interesse, in Urbe, ultra Notarium, Officialis specialiter deputandus ab Eminentiss. Vicario, & extra Urbem, vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputanda; aliàs puniatur Notarius, arbitrio Sac. Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur Fidem authenticam reportare, quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium, &c.

Contravenientes autem severè punientur.

Loco ✠ Sigilli. *Franciscus Riccardus S.Rom.Univ.Inquis.Not.*

Dubia aliquot circa exterorum Matrimonia cum Responsionibus S. Congregationis.

ORdines ultimo loco ab Urbe emanati, circa Matrimonia cum exteris contrahenda, inter alia disponunt, quod Ordinarii præcipiant

piant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus, ut pro Matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant Publicationes in eorum Ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, à quo, vel ejus Generali Vicario priùs teneantur Fidem authenticam reportare, quòd pro tali Matrimonio fuerint examinati Testes in eorum Tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium.

1. Quæritur, an illi ex Diœcesibus circumvicinis, & ipsi teneantur tales probationes facere, an verò sufficiat Fides denunciationum in eorum Diœcesibus factarum, cum legalitate Ordinarii, & probatio eorum status post discessum ab ipsa Diœcesi.

Hujusmodi habentur pro exteris, & consequenter tenentur probationes facere.

2 Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum Diœcesis habitantes, & ob vicinitatem, ab eorum Rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes, an verò sufficiant publicationes ab ipsis Rectoribus faciendæ.

Etiam isti tenentur facere probationes.

3 An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante ætatem nubilem à propria Diœcesi discedentes, ad aliam se contulerunt, & in ea postmodum semper habitaverunt.

Non tenentur, quia non fuerunt extra Diœcesim tempore habili ad contrahendum.

4 An in Civitate, in qua Milites Hispani, Teutonici, Alemani, & aliarum longinquarum Regionum residere solent, idem cum ipsis sit servandum, vel sufficiat probationes in ipsa Civitate recipere de eorum statu à Testibus ipsarum Regionum de negotio edoctis.

Tenentur facere probationes, juxtà formam instructionis, quia isti faciliùs committunt Polygamiam.

5 An, facta per Parochum monitione Ordinario contrahere volentis, Fides status ejusdem sit ab eodem Parocho, vel à contrahere volente reportanda.

Tenetur Fidem reportare, & Parocho consignare is, qui vult Matrimonium contrahere, sed est in libertate Parochi hujusmodi onus in se assumere.

6 An ædem probationes sint servandæ in casu necessitatis, & ab existentibus in articulo mortis, sic contrahere volentibus.

Non sunt servandæ in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias: cum hoc etiam, quod si in-

ſi infirmus fortè convaluerit, debeant fieri diligentiæ, juxtà inſtructionem, antequam ſimul conveniant.

7 An requiratur Atteſtatio proprii Ordinarii pro exteris, qui, per decem annos, & ultra, domicilium acquiſierunt in Loco, ubi ſunt Matrimonium contracturi, ſi eorum ſtatus liber probetur per Teſtes fide dignos, tàm originis, quàm domicilii.

Requiritur.

8 An requiratur dicta Atteſtatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, & è contrà, ſi mortuæ fuerint in Loco, ubi iterum Matrimonium contrahere deſiderant, ac ampliùs poſt mortem à dicto Loco non diſceſserunt.

Requiritur pariter.

N U M. XX.

Notula Impedimentorum Matrimonii, de qua tit. 12. §. 2.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis deſit præſentia Teſtis,
Raptave ſit Mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc ſocianda vetant connubia facta retractant.

E R R O R.

Il primo impedimento è l' Errore, che interviene circa la ſoſtanza della perſona con chi ſi deve contrarre Matrimonio, come per eſempio, ſe uno intende di contrarre con Giovanna, e per errore contraeſſe con Ginevera, ovvero penſa di contrarre colla primogenita, e gli foſſe data un altra; ne' quali, e ſimili caſi ſi diverſifica la ſoſtanza della perſona; ma ſe l' errore conſiſteſſe nelle qualità; come per eſempio, credeva che foſſe bella, nobile, e ricca, il che non è, allora reſta valido il Matrimonio, per eſſer queſte coſe accidentali, e non ſoſtanziali.

C O N D I T I O.

Il ſecondo è la Condizione di ſchiavitudine, quando una perſona libera contraeſſe il Matrimonio con un' altra perſona ſchiava, non ſapendo che ſia tale. *VO-*

VOTUM.

Il terzo è il Voto solenne fatto nella Professione espressa, o tacita di Religione, e nel pigliare gli Ordini Sacri.

COGNATIO.

Il quarto impedimento è la Parentela, la quale è in tre modi, cioè, Naturale, Spirituale, e Legale, la Naturale impedisce, e toglie il Matrimonio insino al quarto grado inclusivamente, e facendo il Matrimonio con tale impedimento sono scomunicati, se l'ignoranza non si scusa. La Parentela spirituale nasce da'Sacramenti del Battesimo, e della Cresima, e si contrae dal Battezzante col Battezzato, e Padre, e Madre di esso, e dal Compare, e Comare col detto Battezzato, e Padre, e Madre del medesimo. Dal Cresimante col Cresimato, e Padre, e Madre di esso, e dal Compare, e Comare col detto Cresimato, e Padre, e Madre del medesimo. Ma fra' detti Compari, e Comare, che tengono insieme tanto nel Battesimo, che nella Cresima, non nasce impedimento alcuno. La Parentela legale nasce dall' Adozione, e si contrae l'impedimento dall' Adottante coll' Adottato, Moglie, e Figlie di esso, e dall' Adottato coll' Adottante, Moglie, e Figlie di detto Adottante finchè sono sotto la cura del Padre.

CRIMEN.

Quinto è il delitto, che si commette in più maniere. Il primo è quando un Uomo, e una Donna convengono insieme di far morire, o il Marito, o la Moglie, a fine di contrarre fra di loro il Matrimonio, mentre però l'omicidio sia seguito per detta causa.

Secondo, quando due anno commesso insieme adulterio, e uno di essi fa morire, anche senza saputa dell'altro, o la propria Moglie, o il Marito dell' Adultera.

Terzo, quando due commettono scientemente l'adulterio con promessa di contrarre Matrimonio dopo la morte del Marito, o della Moglie.

Quarto, quando vivendo il primo Consorte si contrae Matrimonio con un'altro, e se il detto Matrimonio è consumato, dura l'impedimen-

mento anhe dopo la morte di detto primo Conforte.

CULTUS DISPARITAS.

Il festo impedimento è la diverſità della Religione, e però non può farſi vero Matrimonio fra un battezzato, e uno non battezzato, ma ſe un Cattolico contraeſse con un Eretico, o ſcomunicato, peccherebbe, ma il Matrimonio ſarebbe valido, e non potrebbe coabitare, ſe ci foſse pericolo d' eſser pervertito.

VIS.

Settimo è il Matrimonio fatto forzatamente, ed il Sacro Concilio di Trento ha meſso la Scomunica a' Signori Temporali, che forzano i loro Sudditi a ſpoſarſi più con una, che con un' altra perſona, ma a volere che detta forza renda nullo il Matrimonio è neceſſario, che proceda da una minaccia grave, ingiuſta, e fatta a fine di far contrarre il Matrimonio, il che tocca a riconoſcere all' Ordinario.

ORDO.

Ottavo è l' Ordine Sacro, quando uno, che ha gli Ordini Sacri, non può contrarre Matrimonio, e facendolo chi ha tal Voto incorre nella ſcomunica, e nell' irregolarità per la bigamia ſimilitudinaria.

LIGAMEN.

Nono è il Legame quando la perſona legata in Matrimonio non può contrarre con altri, come ſi è detto nel quarto caſo del quinto impedimento.

HONESTAS.

Decimo è la giuſtizia della pubblica Oneſtà, quale fa, che chi ha contratto gli Sponſali validi, non può contrarre Matrimonio con alcuno conſanguineo in primo grado di quella perſona, con cui aveva contratto gli Sponſali, ancorchè detta perſona foſſe morta, o ſi foſſero ſcambievolmente diſobbligati, ſtante la dichiarazione di Aleſs. VII.

Chi

Chi poi avesse contratto il Matrimonio rato, anche invalidamente; purchè l' invalidità non venisse per difetto del consenso, non potrebbe contrarre co' detti consanguinei infino al quarto grado inclusivamente, anche dopo la morte della Moglie, e del Marito.

SI SIS AFFINIS.

L' undecimo è l' Affinità, che nasce dalla copula perfetta, tanto lecita, che è quella del Matrimonio, che annulla infino a tutto il quarto grado, quanto illecita, cioè fuori del Matrimonio, ed annulla fino a tutto il secondo grado, e deve avvertirsi, che l' Uomo solamente diventa Affine di tutt' i consanguinei della Donna, siccome la Donna solamente diventa Affine di tutt' i consanguinei dell' Uomo, ne' gradi, e modi sopraddetti.

SI FORTE COIRE NEQUIBIS.

Il duodecimo è l' impotenza di poter consumare il Matrimonio mentre sia per durar sempre, e se tale impotenza si scoprisse dopo il Matrimonio, non si possono i conjugati separare senza la sentenza dell' Ordinario, o suo Vicario Generale.

SI PAROCHI, ET DUPLICIS &c.

Il decimoterzo è il Matrimonio Clandestino, che è quando si celebra senza la presenza del proprio Paroco, e di due Testimonj.

RAPTAVE SIT MULIER &c.

Il decimoquarto è rapire una Donna, ec. onde quando la persona rapita stà in potere del Rattore, non vale il Matrimonio, ma se il Rattore la mettesse in libertà, la potrebbe sposare.

Oltre alli sopraddetti impedimenti ci è quello dell' età, che annulla il Matrimonio, se il Maschio non ha compito i quattordici anni, e la Femmina dodici, se la malizia, o prudenza non supplisse l' età a dichiarazione dell' Ordinario.

*** ✠ *** ✠ ***

NUM.

N U M. XXI.

Edictum super observantia Festorum, de quo tit. 13. §. 3.

COll' occasione della nostra Visita Pastorale, avendo noi veduto con molto nostro dispiacimento i luttuosi disordini dell' inosservanza de' giorni festivi, onde pare omai, che tra alcuni Cristiani le Feste non sieno più Feste, perchè non sono più sante, mentre anche in quei giorni destinati al servizio di Dio, si serve da molti solo al corpo; quasi che i Cristiani sieno del numero di coloro, *quorum Deus venter est;* Anzi si vedono a' giorni di Festa solamente riservati gli spassi più sregolati, e talora scandalosi, sicchè a' nostri tempi par che convenga con tutta giustizia il rimprovero di S. Cirillo: *Idnè est, ò Christiani, celebrare diem festum, indulgere ventri, & inconcessis voluptatibus habenas laxare?*

Abbiamo pertanto stimato obbligo nostro di provvedere al possibile colla pubblicazione del presente nostro Generale Editto a inconveniente sì pernicioso, intimando anche a' disobbedienti i gastighi, acciocchè chi non si muove per titolo di obbedienza della Divina Legge alla dovuta osservanza, n'abbia almeno per timor della pena il dovuto riguardo, giacchè *oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

Prima dunque ricordiamo al nostro dilettissimo Popolo, che ne' giorni di Domenica, e in tutte le altre Feste comandate, corre a tutti l' obbligo di astenersi da qualunque lavoro, o esercizio di arte servile, meccanica, o mercantile, e da ogni negozio, traffico, o contrattazione, ed in particolare dal caricare, vettureggiare, e condurre da un luogo all' altro con Bestie, Carri, Carrette, o in altra maniera, Sassi, Rena, Calcina, Mattoni, Brace, Carbone, Bucati, Asse, Pali, Cerchi, Legne, Mobili, Legnami, e finalmente ogni altro Materiale, fuorchè in occasione di mutare le abitazioni delle Case, e allora concediamo, che si possano sgomberare le robe, e Masserizie, e quelle direttamente trasportare da una Casa all' altra, anche nelle Feste comandate, non già nelle Feste solenni.

Secondo, restano in tal proibizione compresi i Muratori, Legnajoli, Barbieri, Merciai, Lanciai, Tessitori, Tintori, Linajoli, Magnani, Fabbri, Pentolai, e quelli, che fanno negozio di vasellami, e stoviglie, Bicchierai, Sarti, Calzolai, Lavandaje, e generalmente qualunque altra sorta di Manifattori, Artieri, e Bottegai di qualsivoglia Me-

ſtiero, o Negozio, che non poſſano in modo alcuno aprire le loro Botteghe, a riſerva però di quei Bottegai, che per entrare in Caſa, non aveſſero, che il ſolo ingreſſo della Bottega, nel qual caſo lo debbono aprire ſolamente per la preciſa loro occorrenza di entrare, e uſcir di Caſa, con riſerrarlo ſubito, che ſaranno uſciti, ed entrati, ſenza vender coſa alcuna. A riſerva anche de' Bottegai infraſcritti, e colle moderazioni, ehe quì ſi diranno.

Terzo, ſono tenuti all' iſteſſa oſſervanza i Contadini, tanto per lo traſporto di coſe non commeſtibili, quanto ancora nel concernente l'arte lor ruſticale, come l'arare, potare, zappare, vangare, ſeminare, mietere, ſegar fieni, battere, vendemmiare, raccorre olive, tagliar boſchi, far brace, vendere, comprare, trattare, o mercantar beſtiami, o far altr' azione diſconveniente alla ſantità di detti giorni, a riſervo ſolamente di mieter il grano, quando la dilazione poteſſe eſſer di nocumento, ottenuta però prima licenza dal loro Paroco, la quale debba darſi in generale, e non in particolare, all' Altare.

Quarto, volendo Noi in ciò ſeguire il tanto laudevole, e ben pratico eſempio dell' ultimo Sinodo Fiorentino dell' Anno 1710. a tutti quelli, che traſgrediſſero quanto abbiamo loro ſopra preſcritto, aſſegnamo (trovati che ſieno in fragranti) la pena per la prima volta di Scudi due, per la ſeconda volta di Scudi cinque, e per la terza, e altre volte di Scudi dieci di noſtra moneta, da incorrerſi ipſo facto ſenz' altra dichiarazione, e da applicarſi, ſiccome ora per allora quella applichiamo per la terza parte a gli Eſecutori, e per le altre due terze parti a' luoghi, e uſi pij, ſecondo gli ordini, ed in oltre del Noſtro Arbitrio, da regolarſi ſecondo la gravezza della traſgreſſione, e da eſtenderſi anche alla perdita della roba, e altre pene. Dichiarando di più, che ſaranno per tali pene tenuti i Padri per i Figliuoli, e i Padroni per li loro Garzoni, e Miniſtri; Notificando inſieme a tutti, che la Feſta comincia dalla mezza notte del giorno antecedente ſino alla mezza notte del giorno ſuſſeguente.

Quinto, vogliamo, che s'intendano eccettuati dalla preſente proibizione i Paſſeggieri co' loro Equipaggi, i Mulattieri, Vetturali, e Condottieri di Mercanzie di paſſo, e ſpedizioni di robe mercantili, e quelli ancora, che vengono a Firenze con Grano, Vino, Olio, Frutte, e altre coſe vittuali, riſervo a queſti de' giorni più ſolenni ſolamente, come la Paſqua di Reſurrezione, la Pentecoſte, Ogniſſanti, e il SS. Natale di Noſtro Signor Gesù Criſto.

Se-

Sesto, sieno parimente esenti (fuorichè in dette solennità, precisa la necessità degl' Infermi) gli Speziali, Pizzicagnoli, Macellari, e tutt' i venditori di cose commestibili, con tal condizione però, che tutt' i detti Bottegai tengano aperto lo sportello solamente, senza alcuna cosa in mostra.

Coll' istesse condizioni dichiariamo eccettuati i Fornai, che fanno, e cuocono pane per vendere, ma non già quelli, che cuocono alle Case, se non tanto quanto in concorrenza di più Feste ne ottenessero questi per alcuna di quelle da loro Proposti, o Pievani licenza in iscritto.

I Manescalchi possono stare solamente a sportello, senza però accender fuoco nelle fucine.

Nè pure i Fornaciai possano accendere in giorno festivo le loro fornaci. Possano bensì, accese che sieno, continuare a tenerle accese anche ne' dì festivi.

Settimo, proibiamo ancora il farsi i Mercati in tutti i giorni festivi, in qualunque luogo della nostra Diocesi, potendosi quelli anticipare, o posticipare, secondo che più parrà a' Rettori di Giustizia, e soprantendenti de' Luoghi, dove quelli sieno soliti di praticarsi. Ammettiamo bensì la continuazione delle Fiere, secondo che elle sieno in uso.

Ottavo, comandiamo espressamente sotto le accennate, e altre più gravi pene, che non solamente nelle Feste di precetto, ma ne' giorni feriali ancora, non si facciano mai pubblicamente per trecento passi vicino alle Chiese, Giuochi di sorta alcuna, Balli, Bische, Bagordi, nè pure ivi sieno in alcun tempo Ciarlatani, Cantimbanchi, Giocolatori, Astrologi, e simili, ma molto meno nel tempo della Messa, e altri Divini Ufizj; Perlochè preghiamo istantemente i Signori Potestà, e altri Ufiziali de' luoghi, che secondando la singolare nota pietà della Reale Altezza del Serenissimo Gran Duca, vogliano impiegare tutta la loro autorità, per estirpare affatto con gravi gastighi simili abusi, che così viene anche a Noi con gran premura insinuato dalla Costituzione Apostolica di Papa Clemente Settimo.

Nono, avvertiamo con carità paterna, che a nessuno è lecito di lavorare in detti giorni, anche sotto pretesto di povertà, o di altro motivo, benchè ragionevole, se prima non ne averà preso consiglio, e approvazione in coscienza dal suo Curato, o Confessore, purchè il lavoro si faccia privatamente in Casa, in luogo ritirato. E quando occorra doversi praticare, o in privato, o in pubblico qualche lavoro, o arte servile, giusta le predette respettive permissioni, si proccuri di udir prima, per quanto è possibile, la Santa Messa. S 2 De-

Decimo, avvertiamo ancora, che peccano mortalmente quei Capi di Casa, Padri di famiglia, e Padroni, che non fanno santificar le Feste da' loro sottoposti, e subordinati, facendoli in tali giorni lavorare senza positiva necessità, per quello puramente si dovesse fare *intra domesticos parietes*. Che però si loda il buon uso di quei Padroni, e Padrone, che assegnano a' loro servitori, e serve qualche ora ne' giorni feriali per le loro indigenze. Anzi per quello riguarda i Padri di famiglia, questi di più son tenuti a condurre, o mandare nelle Feste i loro figliuoli di età capace alla Santa Messa, e alla Dottrina Cristiana, non ostante che fossero destinati alla guardia de' Bestiami. Al qual effetto ordiniamo a' Parochi di non ammettere a' Sagramenti, salvo che in articolo di Morte, quei Genitori, che fossero in ciò trascurati, mentre però non vi sia scusa legittima, da esaminarsi, e da approvarsi dagl' istessi Parochi secondo la loro coscienza.

Comandiamo finalmente a tutt' i Parochi Secolari, e Regolari della Nostra Diocesi, che tengano affisso nella loro Sagrestia in una Tavoletta il presente Editto, e che più volte fra l' anno lo leggano dall' Altare, nel tempo della Messa i giorni festivi, in vece di fare al popolo la solita spiegazione del Santo Vangelo, o altro Discorso, o Lezione spirituale, a cui molto ben sanno, che sono onninamente tenuti, come chiaramente dispone il Sacro Concilio di Trento nella sessione 5. Cap. 2., aggiugnendo qualche divoto impulso secondo gli abusi, che di mano in mano vedano insorgere intorno a questo sì importãte affare, spiegando in una, o più volte con distinzione i Capi di questo Nostro Editto, e con carità insinuandone l' osservanza con santi motivi, amorevoli consigli, e divoti esempi, acciocchè congiunto il loro al nostro zelo, colla divina assistenza abbiamo tutti la consolazione di vedere in salvo da tanti gastighi minacciati contro i Profanatori de' giorni festivi tutto questo nostro Amatissimo Popolo, cui diamo la nostra Pastoral Benedizione.

Dato in Firenze dal nostro Palazzo Episcopale appresso S. Maria in Campo, questo dì 2. Settembre 1718.

LUIGI MARIA VESCOVO DI FIESOLE.

Gio: Domenico Buonistalli Primo Cancell.

†

NUM.

NUM. XXII.

Decr. S. Congreg. Rit. super Jure Parochorum in Funeribus de quo tit. 16. §. 1.

PArocho ſpectat declarare, per quam viam ſit exportandus defunctus, & omnia neceſſaria uſque ad januam Eccleſiæ Regularium, ubi ſepeliendus eſt, Sacra Congregatio negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſita. *In Caſtellatanen.* 3. *Januarii* 1594.

Et ita tenetur uſque ad eamdem januam funerale ducere,& proſequi, eadem S. Congreg. *in Brixien.* 18. *Junii* 1561. *& in Nicoteren.* 4. *Junii* 1615.

NUM. XXIII.

Edictum Reverendiſs. olim Epiſcopi Altovita ſuper ſtipendiis de Funeribus reportandis, dequo tit. 16. §. 1.

AVendo Noi, per evitar le controverſie, che giornalmeute inſorgevano tra alcuni Parochi della noſtra Dioceſi, e i loro Popoli nel ſeppellire i Defunti, dichiarato nelle Coſtituzioni Sinodali da Noi pubblicate l' Anno 1690. e particolarmente nel titolo de Sepulturis al Capitolo terzo, quanta deva eſſer la Limoſina da darſi a i Parochi nell' aſſociazione de' Cadaveri alla Sepoltura, con ſperanza, che per detta noſtra Coſtituzione ſi quietaſſero tanti reclami, che dagli Eredi di detti Defunti ci venivano fatti continuamente; Ma perchè abbiamo riconoſciuto, che in vece di rimediare a un tale abuſo, i dubbj, che cadono ſopra l' interpetrazione di detta Sinodale ridondano in maggiore aggravio di detti Eredi, maſſime quando il Cadavere è aſſociato da più Sacerdoti, nel qual caſo, oltre l'Elemoſina doppia al Curato, e l'acquiſto di tutta la Cera del Funerale alla Chieſa, ſi pretendono anche da alcuni Parochi li dieci Giulì, e reſpettivamente li cinque, o li tre, ſecondo l' età dei Defunti, come in detta Sinodale, che è tutto contra la Noſtra Mente, che fu di ſollevare, e non di portar maggiore aggravio a i Noſtri Dilettiſſimi Popoli. Perciò volendo ovviare a un tale inconveniente, e per evitare in avvenire ſimili reclami; Per lo preſente Noſtro Editto dichiariamo la predetta Coſtituzione, non affatto chiara, nella forma che ſegue, cioè. Nel caſo, e caſi, che il ſolo Paroco aſ-

ſo-

focj i Cadaveri dei Defunti devano gli Eredi (mentre non gli ſtima dal pagamento la Povertà, come nella predetta Sinodale, alla quale ec.) per i maggiori di diciotto anni dell' uno, e dell' altro ſeſſo dare al Curato l' Elemoſina di Giuli dieci; Per i maggiori di anni ſette, e minori di anni diciotto, Giuli cinque; e per i minori di anni ſette Giuli tre ſolamente; con obbligo al Curato in tutt' i predetti caſi reſpettivamente di accendere del proprio i lumi in Chieſa circa il Cadavere, mentre vi ſi cantano le ſolite Preci, e che all' incontro gli Eredi provvedano eſſi la Cera da accenderſi per la ſtrada alla Croce, e queſta oltre la ſopraddetta Elemoſina ſi acquiſti alla Chieſa; Ma quando gli Eredi del Defunto vorranno più Sacerdoti per aſſociare i Cadaveri, non vogliamo ſi attenda la Taſſa ſopra ſtabilita, ma ſolo ſia a carico degli Eredi il provvedere tutta la Cera sì per iſtrada, come per Chieſa, quale terminate le funzioni, rimanga tutta alla medeſima Chieſa, ed in oltre il Curato abbia la ſua Elemoſina doppia di Cera, o di Danaro di quello, che avranno gli altri Sacerdoti, nè poſſa pretendere coſa alcuna di vantaggio, e ſpecialmente non poſſa domandare, nè conſeguire li dieci, o cinque, o tre Paoli ſopra taſſati reſpettivamente per quando c' interviene il ſolo Paroco.

E perchè i Popoli maſſime del Contado non poſſono eſſere informati di queſta Noſtra Ordinazione, che tende unicamente al loro ſollievo, comandiamo a tutt' i Parochi a noi ſottopoſti, che in occaſione di ciaſchedun Mortorio ſignifichino al Capo di Caſa fra gli Eredi del Defunto la differenza della ſpeſa, che è fra il fare aſſociare il Cadavere dal ſolo Paroco, o da più Sacerdoti, perchè poſſa il medeſimo Capo di famiglia deliberare come voglia ſia onorato il Cadavere del Defunto, e non ſi trovi aggravato di ſpeſe ignorantemente ſenza ſaperlo. Dichiarando che per l' aſſociazione, che ſi farà dal ſolo Paroco ai Defunti maggiori di ſette anni, quando gli Eredi vorranno, che dal Paroco ſi celebri la Meſſa per detti Defunti, devano dare un Giulio di vantaggio al medeſimo Paroco, oltre li dieci, o li cinque, come ſopra; Ma quando dovranno intervenire più Sacerdoti circa alla Celebrazione delle Meſſe ſi deve oſſervare lo ſtile antico di ciaſchedun luogo. E così vogliamo, e ordiniamo ſi oſservi in avvenire da tutti inviolabilmente ſotto la pena del Noſtro Arbitrio ſecondo la qualità della traſgreſſione non oſtante qualſivoglia Decreto, o Coſtituzione diſponente in contrario, alla quale per quanto faccia di biſogno intendiamo derogare; E acciò il preſente Editto ſia noto a tutti, nè da alcuno ſe ne poſſa preſumere, o allegare

re

ze ignoranza, vogliamo si affiga alla Porta del Nostro Tribunale, e a i luoghi pubblici della nostra Diocesi, con trasmetterne ancora a ciaschedun Paroco un esemplare, acciò lo possa conservare appresso di se medesimo affisso nella Sagrestia della sua Chiesa.

Dato in Firenze nel Nostro Palazzo Vescovale il dì 3.Febbrajo *1699*. ab Incarnatione.

FILIPPO NERI VESCOVO DI FIESOLE.

Francesco Genovini Canc.

N U M. XXIV.

Catalogus eorum, quibus non licet dare Ecclesiasticam sepulturam, de quo tit. 16. in fin.

INfideles, Pagani, Judei, Turcæ, omnesque Infideles personæ eisq; credentes; præterea etiam illorum receptatores, defensores, & fautores.

Quibus annumerantur Infantes sine Baptismo decedentes, nisi in ventre Matris mortui sunt, tunc enim in loco sacro sepeliri possunt; sed pueri, de quibus dubitetur, an sint baptizati, & in secundina involuti morientes baptizati in loco sacro sepeliri debent.

Sicut etiam Cathecumini.

Hæretici, eorum receptatores, defensores, fautores, eisque credentes, & quorum hæresis post mortem manifestetur.

Excommunicati notorii, & denunciati, interdicti similiter notorii, & denunciati, & interdicti nominatim, & suspensi ab ingressu Ecclesiæ in mortis articulo non absoluti, licèt signa doloris, & pœnitentiæ dederint, & morientes in loco interdicti.

Publici, & notorii, ac manifesti Usurarii, nisi alienum restituerint, sive idoneam de restituendo dederint cautionem.

Manifesti raptores, & Ecclesiarum violatores, nisi restitutione secuta, vel de restituendo caverint.

In torneamentis, ac duello decedentes, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa.

Ii, qui semel in anno confiteri, & Eucharistiæ Sacramentum sumere notoriè intermiserint, & absque signis doloris, & pœnitentiæ obierint, & absque Parochi consilio prorogarint recipere Sacramenta.

Se ipsos interficientes ex industria, ex desperatione, vel iracundia, se-

secùs ex insania, & vi furoris morbi, & hujusmodi, nisi signa pœnitentiæ ante mortem ostenderint.

Quilibet notorii peccatores in ipso peccato mortali è vita migrantes absque signis contrictionis, & doloris.

Meretrices, quæ se publicè exponunt lupanari quamvis signa præstiterint doloris, & id in odium criminis notorii, & manifesti.

Publicè Deum, & Sanctos præsertim Beatam Mariam Virginem blasphemantes, & impœnitentes morientes, ac Pœnitentiam injunctam non agentes.

Decimas Ecclesiæ minimè restituentes, nimirum ante illorum mortem.

Religiosi utriusque sexus proprietarii, si à suo Superiore moniti, & correcti absque pœnitentia, & emendatione moriantur.

Percussores omnes Clericorum publici, & notorii, etiam nulla facta denunciatione, seù declaratione, & in articulo mortis non absoluti.

Clerici, vel Sacerdotes in Ecclesiam excommunicatos admittentes, absque pœnitentia morientes.

Notorii, & manifesti concubinarii impœnitentes morientes.

Corpora illorum, qui sepultura Ecclesiastica privantur, sunt ità longè ab Ecclesia sepelienda, ut Clericorum canentium voces indè minimè audiri valeant.

Et si in loco sacro reperiantur tumulata, sunt omninò exhumanda, & alio proiicienda, modo eorum ossa discerni valeant.

At si Infideles sepulti fuerint, non solum sunt exhumandi, sed parietes sunt etiam radendi, & dealbandi, & Ecclesia est reconcilianda.



A D-

ADDITIONES
AD SECUNDUM LIBRUM.
NUM. XXV.

Edictum super Residentia Parochorum Reverendiss. Episcopi Altovita, de quo tit. 2. §. 2.

LUctuosa nimis quorumdam Sacerdotum incuria, qui perinde ac si Gregem illum, pro cujus salute Pastor se devovit æternus, non custodiendum, sed devorandum suscepisent, ineffabilem miserentis Domini mansuetudinem suæ faciunt nequitiæ securitatem, singularibusque Dei Beneficiis perversè utétes in benemerentis injuriam, ipsum, cujus pasci manibus inhiant, impiè dilacerare non erubescunt, dum vel suarum turpiter ignari partium, vel alienæ quam profitentur tutelæ improbè obliti, ab Ecclesiis suæ ipsorum Curæ demandatis abesse, cum ingenti Christianæ plebis jactura, non verentur, Nos sæpe sæpiùs impulit, ut pro Pastoralis Officii, quo fungimur, munere, ad tanti sceleris fæditatem cohibendam, penitusque extirpandam sedulò incumberemus. Omnes proinde, singulosque Paterna Charitate commonuimus, nè Sæcularibus irretiti negociis, cœlestium fieri vellent ministeriorum immemores, nevè quas susceperant Oves vel cum vitæ periculo pascendas, Tartarei dilaniandas Lupi faucibus suam per absentiam obiicerent; Sanguinem enim ipsarum inenarrabiles ad Deum clamores extollere Sacrorum Canonum inconcussa probat authoritas, Conciliorum nedum Provincialium, sed Generalium, ac precipuè Tridentini Sanctiones confirmant, quæ nos Synodalibus Constitutionibus in mentem omnibus revocare non destitimus, & omnia adamussim servari mandavimus. Quoniam vero nonnullorum improbitas eò imprudentiæ devenit, ut (quod sine lacrymis meminisse non licet) mitiora perosi remedia, quasi ultionum Domino nullam forent rationem reddituri, humana, divinaque jura contemnant, gravioris pœnæ metu tantam ipsorum insa-

niam compescere cogimur. Omnibus proindè, ac singulis Dioecesis nostræ Parochis tam Sæcularibus, quam Regularibus, Prioribus, Rectoribus, Economis, Parochorum Coadiutoribus, vel quovis modo Animarum Curam gerentibus, etiam amovibilibus, præcipimus, impenseque mandamus, ne ullo pacto suis ab Ecclesiis deinceps abesse audeant, nisi à Nobis, vel à Vicario nostro Generali facultatem in scriptis, accedente legitima causa, obtinuerint. Si quis verò eorum (quod absit) per tres dies continuos, vel interpolatos intra Mensem extra propriam Parochiam, & Residentiam commorari absque prædicta facultate præsumpserit, non modo poenis omnibus per prædicta Decreta, sanctionesque statutis, sit obnoxius, sed etiam ipso facto, & absque ulla alia declaratione sit à divinis suspensus; cujus suspensionis absolutionem omninò reservatam Nobis volumus, itaut à nullo alio possint delinquétes absolvi. Declaramus propterea in Concessionibus hactenus a nobis factis, vel in futurum faciendis, absolvendi a Casibus, & Censuris Nobis reservatis, nullo pacto comprahendi facultatem ab hac suspensione absolvendi, nisi de ipsa mentio expressa fuerit facta. Hujus autem Decreti, & omnium, ac singulorum in ipso contentorum observantiam, post elapsum mensem a die publicationis, districtè mandamus, poenasq; omnes superius expressas absq; ulla tergiversatione, aut quæsito colore, prætextuque, ipso jure a non residentibus post dictum terminum esse incursas decernimus. Datum Florentiæ ex Nostro Episcopali Palatio sito apud Ecclesiam S. Mariæ in Campo die 28. Septembris 1680.

PHILIPPUS NERIUS EPISCOPUS FESULANUS.

Petrus Franciscus de Chiavistellis Canc.

HUjus verò Constitutionis declarationem exoptantibus pluribus ex Nostris Parochis cum aliquo moderamine, sicuti ad aures pervenit, qualiter scilicet, & qui nam dies accipiendi, & an ad plures, quam ad tres essent protrahendi absque scrupulo, occasione cujuscumque urbanitatis, & tituli, antequam perpetuò hanc valère firmaremus, indulgère aliquo modo volentes, poenam inflictam incurrere intendimus eos tantùm, qui per quinque dies integros, non tamen festivos in mense, sivè successivos, sivè interpolatos absentes fuerint a residentia, ita tamen, ut in reliquis nihil relaxatum intelligatur prædictæ nostræ Constitutionis.

De-

Declaratio S.Congr.Conc.super Resid.de die 10.*Maii* 1687.

EPiscopus Fulginaten. supplicavit à Sacra Concilii Tridentini Congregatione declarari.

Primò, an Rectores Ecclesiarum Parochialium à Civitate distantium, per duo, tria, aut quatuor milliaria circiter possint sine expressa Episcopi licentia abesse a suis Ecclesiis Parochialibus, relicto ibidem substituto ab eis Deputato, & in Civitate, tam diurno, quàm nocturno tempore jugiter commorari, exceptis solis diebus Festis, in quibus ad dictas Ecclesias se conferunt, revertentes illico ad Civitatem.

Secundò, an Parochi, qui nocturno cæteroquin tempore resident apud suas Ecclesias, possint, celebrata summo mane Missa in dictis Ecclesiis, se conferre ad Civitatem, & in ea diurno tempore totius, vel majoris partis anni commorari, licèt apud dd. Ecclesias adsint eorum substituti.

Tertiò, an dd. Parochi, qui cæteroquin diurno tempore resident apud suas Ecclesias, possint nocturno tempore totius, vel majoris partis anni commorari in Civitate, licèt apud dd. Ecclesias adsint eorum substituti.

Sac. Congr. Concilii die 10. Maii 1687. respondit in omnibus Negativè.

Ultra Constit. 10. *incipien. de Salute*, *Constit.* 91. *incipien. In suprema Pii IV.*, *& Constit.* 65. *incipien. Cupientes*, *Pii V. plures aliæ Declarationes ejusdem Sacr. Congr. super onere Parochorum residendi habentur apud Barbos. Summa Bullar. in verbo* Parochus, *& in verbo* Residentia.

N U M. XXVI.

Formula Attestationis transmittendæ per Parochos de statu Ecclesiæ, & cultura Bonorum, de qua tit. 2. in fin.

Adì

SI fa fede per noi infrascritti per la verità, come avendo intera pratica, e informazione dei terreni, ed effetti appartenenti alla Chiesa di S. di cui è presentemente Rettore il R. N. siccome frequentando continuamente la di lui Chiesa, possiamo attestare, che la Chiesa è ben custodita, e mantenuta, provvista, e ufiziata ai suoi tempi, siccome la

Chiesa Presbiterale è ben tenuta, e secondo i bisogni nella sua fabbrica conservata, e i terreni di essa, ed effetti in buono stato, mantenendovisi dal presente Rettore le vecchie coltivazioni, e secondo il bisogno facendovisene delle nuove.

NUM. XXVII.

Methodus super Conventibus habendis ad Casuum Conscientiæ discussionem, de qua tit. 3. §. 2.

